This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

PA
6585
058
1884

OLSEN
QUAESTIONUM PLAUTINARUM
DE VERBO SUBSTANTIVO
SPECIMEN.

STANFORD
LIBRARIES

QUAESTIONUM PLAUTINARUM

# DE VERBO SUBSTANTIVO

SPECIMEN.

---

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

**GRYPHISWALDENSI**

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXI MENSIS MARTII H. XI.

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

**WALDEMARUS OLSEN**

POMERANUS.

---

ADVERSARII ERUNT:

R. HOLSTEN.

G. KLINKE.

M. WELLMANN.

---

GRYPHISWALDIAE, MDCCCLXXXIV.

ADOLFO KIESSLING

SACRUM.

Ritschelium notissimum est de verbi substantivi apud Plautum omissione hoc tulisse iudicium (Prol. p. CIX): *Quo Plautus sermone utitur ad vitae usum communem composito, ab eo et ‚est' et ‚es' verbi omissionem cum a poetis tum a scriptoribus frequentatam sciendum est omnino esse alienam nec nisi rarissimis condicionibus probatam.* Atque profecto qui in carminibus poetarum Augusteae aetatis vel adeo Taciti libris legendis versatus accesserit ad Plauti fabulas, is admiretur, quanto rarius ab hoc admittatur verbi ommissio.

Verum etiam sermoni familiari atque cotidiano, qualis Plautinus est, cum in aliis linguis praeter alias haec licentia, quae posita est in verbo substantivo omisso, conceditur tum a lingua Latina eam non alienam fuisse docent nos ii scriptores, qui alius aetatis praebent huius sermonis imaginem, velut Terentius, Cicero in epistulis, Horatius in satiris, Petronius. Itaque minime exspectandum sed satis mirandum esset, si Plautus ab hoc usu solus secludi deberet. Unde autem nisi ex libris mss. discamus, quam viam ingressus sit Plautus, quoniam veterum grammaticorum testimonia non exstant? Et illi satis acriter pugnant contra Ritschelii sententiam. Nam primum quidem *sumus, estis, sunt, sum* formarum omissio multo latius patet, quam Ritschelius tum perspexerat, cum Prolegomena cum summa salute studiorum Plautinorum scribebat, et exstant loci non pauci, quibus omissio excusari non potest rhetorico genere dicendi vel commotione animi vel alio argumento sensus, qui nos haud raro fallere solet.

Deinde cur denegemus singularis numeri personis secundae et tertiae, quod ceteris concedere debemus et his quoque libri concedunt? Quid tandem habent peculiare?

Nullam autem vim habere aut potest aut debet id argumentum, quo usi dicunt viri dd. secundae personae exempla omissae nusquam negotium facessere quominus mutentur, illa tertiae personae paene nusquam, cum ceterae personae plerumque nisi cum damno versus inseri non possint. Attamen vero quia remedia, quae Ritschelius adhibuit ad locos resistentes mutandos, lenissima sunt, ob eam potissimum causam tam multis viris doctis placuerunt ita, ut in iis acquiescerent. Nam ut tertia persona versui immisceatur, necesse est scribatur *-ust* [1]) pro *-us* vel addantur vocali finali *st* litterae. Ne autem *es* verbum desideretur, R. scripsit exigui circuli adiectione *-u's, -i's* secutus Bentleium, qui ad Andriae v. III, 5, 15 *quid meritus? Crucem* adnotat: *in nostris melioribus deest ‚es'. ‚meritu's' autem scribendum, ut ‚meritust' pro ‚meritus est'*; cf. ad Andr. III, 2, 16 et ad IV, 2, 19, ubi libri *fortis* tradunt: *ex pronuntiatione sciebant ‚forti's', ut ‚tristi's, veritu's' coalitum esse ex ‚fortis es'.*

Hi igitur viri docti arbitrantur *-ust* ex *-us est* ita ortum esse, ut *s* littera finali abiecta pro *-u est* scriberetur *-ust.* Illa autem *s* littera finalis tantum modo ante consonantem abici solet, quod praeter alios testatur Marius Plotius VI, 448 K: *‚s' vero littera eliditur sola* [2]), *si a consonanti incipiat altera pars orationis, ut Lucretius ‚ex infantibu' parvis'.* — Quid autem fiat, si *est* et *es* sequuntur *s* finalem?

Atque de tertia persona Marius Victorinus prae-

---

1) de qua scriptura cf. Lachmannum ad Lucret I, 993.

2) quae sequuntur: *cum vocali vero praecedente et iuncta perit ‚s', si in eam finiatur pars orationis et sequens pars orationis incipiat a vocali ut Vergilius ‚rursus in secessu longo sub rupe cavata'*, ad nostram quaestionem nullo modo pertinere possunt.

cipit VI, 22 K: *cum fuerit scriptum ‹audiendus est› et ‹scribendus est› et similia generis masculini, primam vocem integram relinquetis, ex novissima autem ‹e› et ‹s› detrahatis, idem facietis in femininis, ut prima vox cuius generis sit appareat, idemque in neutris.* Atque ut inclinemus in eam sententiam, ut *-ust* coalitum esse putemus ex *-us* et *t*, nos commovere possunt talia exempla quale est *rest;* an putabimus hanc formam ortam esse ex *re* et *st*, praesertim cum *res* vocabuli *s* finalis alia sit natura? Quod ne Ritschelio quidem vacuum dubitatione esse videbatur, ita ut Stich. v 473 adnotatione dignam duceret scripturam Guyeti: *res 'st.* De eius modi coalitione minime dubitandum est, sed qua ratione linguae libuerit, ut modeste agam, non certum est, ut nihil exhac scriptura concludi possit de secunda persona, de qua mihi quidem firmissimum stat iudicium.

Ii enim qui putant unquam scriptum fuisse *u s* pro *us es* egregie falluntur. Nam sit, credamus *s* finalem omissam esse: debemus exspectare scriptum fuisse *u es* in libris Plautinis, quoniam discimus *es* plenis litteris scribendum esse post vocalem ex inscriptione, quae invenitur CIL 1202: *ut acerbo es deditus fato, Non aevo exacto vitai es traditus morti,* [1]) neque ab hac norma scribendi recedunt libri mss. Plauti, qui velut *a es* semper praebent, tantum modo Men. v. 605 Ba *miseres,* Bb *miser*$^{a}$*es,* Pseud. v 188 B *amices,* CD *amicis.* Quin etiam *us es* scriptum invenimus iis qui sunt perpauci locis, ubi una syllaba pro his duabus a versu postulatur. Falso igitur sibi persuaserunt viri docti ideo tam saepe omne vestigium *es* verbi desiderari in libris, quod pro *us es* scriptum fuisset *u s* [2]); *es* autem

1) in quo versu dicendum esse *vitai's* docuit Lachm. ad Lucr. III, 374.

2) Quod autem Ribbeck. Prol. ad Verg. Aen I, 237. vestigium *u's* scripturae in *verbo pollicitus* (sic Vindobonensis codex Prisciani

syllabam librariorum incuria tot locis omitti potuisse veri prorsus dissimile est. Deinde autem me non perspicere posse fateor, qua tandem ratione collegerint editores Plautum omnibus iis locis, ubi ipsi desiderant verbum substantivum, posuisse id post vocabulum in *-us* terminans, i. e. ubi viri docti facillime poetae reddere possunt, quod amisisse eum putant, ad quam rem infra redibimus.

Videmus igitur gravissimam causam, qua viri docti excusare sibi videbantur mutationem tot locorum, ad irritum cadere. Atque cautius egit ante Ritschelium Bothius in fabulis Plauti edendis atque Hermannus. Neque tacuerunt adversarii post fabulas a Ritschelio editas. Bergkius monuit (Zeitschr. für d. Altertumswissensch. 1850 et 51) in formulis velut *hic tertius annus* et in responsis verbum substantivum omitti posse. Cui oblocutus est Ritschelius (Mus. Rhen. VII pg. 599) et Brixius (Hirschfeld. Progr. 1854), qui tamen iam cautius iudicavit et statuit in responsis de more omitti verbum. Atque ipse Ritschelius, cum Trinummum iterum ederet, hoc concessit ita, ut adeo contra libros *est* omitteret Trin. v. 1176: *Quis homo tam tumultuoso sonitu me excivit foras? Benevolens tuus atque amicus:* B *amicus* ÷ CD *amicumst.* Atque id quidem concedendum est — si omnino viri docti libris non satis confidunt — verbum substantivum non minus facile addi potuisse quam omitti. Verum qui hodie edunt Plauti fabulas viri docti mutant totidem quot antea mutati sunt locos neque dubitant de Ritschelii lege severa, quae est obnoxia dubitationi gravissimae. Atque Kiesslingius praeceptor meus doctissimus atque benevolentissimus me ut in hanc rem inquirerem accuratius, adhortatus est, et quoniam cardo rei versatur in quaestione, utrum lingua Latina et potissi-

p. 1073 P.) invenisse sibi videbatur, ipse non pro certo affirmavit neque quisquam credet. Illo signo ÷ nihil aliud significatum est, quam Vergilium eo loco omisisse verbum substantivum.

mum sermo familiaris concesserit Plauto omissionem necne ibi, ubi libri eam praebent, Kiesslingio auctore non satis habui fabulas Plautinas perquirere, sed advocavi Terentium et Ciceronis epistulas, qui ipse diserte dicit, quod nemo nescit: *epistulas vero cotidianis verbis texere solemus* (ad fam. IX 21, 1), deinde Horatii satiras, de quarum genere dicendi ipse poeta dixit Sat. I, 4, 39: *neque si quis scribat uti nos Sermoni propiora putes hunc esse poetam.* Neque Petronium neglexi et me fragmenta poesis scenicae perlegisse haud opus est commemorare.

Incipiam autem a

**secunda singularis persona,**

de qua prorsus aliter mihi iudicandum est, quam adhuc iudicaverunt viri docti. Hanc enim personam et alii et Brixius omnino seiunxerunt a disputatione, *ut in qua exigui circuli adiectione nullo ubique negotio ‹es› restitueretur.* Itaque factum est, ut in poesi scenica nullum exstet exemplum omissi *es* verbi. Hoc non recte se habere iam per se apertum est, quoniam nulla causa excogitari potest, cur excipiatur secunda singularis persona a libertate ceterarum, et magis apparebit, cum ostendero nullum ex iis locis, quos viri docti illo circulo donaverunt, mutandum esse, quia nunquam in lingua Latina *us* et *es* syllabae in unam coalescere potuerunt, contra late patet *es* verbi omissio.

Atque prima procedant ea exempla, quibus editores *es* verbo immixto omnem sermonis alacritatem atque vim eripuerunt, enuntiata dico, quibus diversae personae inter se opponuntur breviter aptissimeque. In libris mss. legimus:

Most. v. 49 *Tu fortunatus, ego miser: patiunda sunt.* et editores scribunt *fortunatu's,* ne *es* verbum desit, atque laudatur hic versus exemplum omissae *sum* formae

scilicet quia hoc verbum versui inseri nequit, *es* vero facile restitui putant. Si autem hic *sum* deesse potest, potest etiam *es* neque huius verbi restitutione quidquam lucramur: omnia perspicua sunt et optime se habent. Falso hic addi *es* verbum apparet etiam ex Cic. ad Att. IV, 6, 3 *sed ille, ut scripsi, non miser, nos vero ferrei;* XVI, 5, 5 *tu vero ἀμύμων, ille quidem ἄμβροτος.*

Deinde *es* recte deest: Rud. v. 222 *quia ego indignus sum, tu dignus qui sies,* ubi Fleckeis. scripsit *dignu's;* sed hic nostro sensu etiam minus desideratur *es,* quia *sum* antecedit. Atque de *es* verbo addendo desinet cogitare qui contulerit Asin v. 134 *nam mare haud est mare. vos mare acerrimum,* ubi nemo adhuc inserere potuit *estis.* Opponuntur inter se personae etiam Andr. v. 285: *Accessi: vos semotae, nos soli: incipit: mi* Trin. v. 490 *Di divites sunt, deos decent opulentiae* || *Et factiones, verum nos homunculi* || *Sitellum animai.*

Omnino hic statuendus est usus: verbum substantivum omitti potest, si pronomen personale antecedit. Tum nihil desideratur ad sententiae perspicuitatem; nam quid aliud esse potest *tu dignus* quam *tu dignus es, ego miser* quam *e. m. sum, ille non miser* quam *i. n. m. est*[1])?

Quae cum ita sint, nihil desideratur:

Merc. v. 756 *Haud malast.* :: *At tu malus.*

ubi frustra scribitur vel potius falso *malu's.*

Deinde integri relinquendi sunt hi versus:

Truc. v. 955 *Tu peregrinus, hic ego habito* (*-nu's* Schoell.) neque exspectandum est, quod verbum finitum sequitur id etiam antecedere debere, cuius omissionis multa occurrent exempla.

---

1) De omissione verbi substantivi apud lyricos poetas agit Leo: 'De Senecae tragoediis observationes criticae' inde a. p. 184 atque huc maxime pertinent: Ovid. her. VI, 148 *non quia tu dignus, sed quia mitis ego,* alii loci, qui etsi alius poesis generis sunt, tamen nobis ostendunt, quatenus linguae Latinae placuerit haec licentia.

Mil. v. 323 *Edepol tu quidem || Caecus, non luscitiosus.* —

Rud. v. 1152 *Edepol haud ted orat, nam tu iniurius.*

Truc. v. 151 *Em istoc pol tu otiosus, Quom.* —

Merc. v. 759 *Non ego sum, qui te dudum conduxi* :: *Quid est?* ||

*Immo hercle tu istic ipsus.*

Men. v. 310 *nam tu quidem hercle certo non sanus satis.*

Ritschl. scripsit *‹sanu's›* atque illud quidem *‹es›* occurrit in similibus enuntiatis velut Men. v. 196 *sanus hercle non es.* Bach. v. 627 *sanus satis nunc non es.* Merc. v. 932 *sanus non es.* Aul. v. 769 *sanus tu non es, qui furem me voces,* sed in prioribus exemplis *tu* pronomen deest, ut *es* magis postuletur et his omnibus locis *es* post *non* positum est, uno tantummodo loco Men. v. 322 *Non edepol homo sanus es, certo scio* invenitur *es* post *sanus*, sed deest hic quoque *tu:* Quis iam pro certo potest affirmare *es* Men. v. 310 excidisse post *sanus?* neque vero verbum desiderari debet propter iam allata omissionis exempla et maxime defenditur tradita lectio his exemplis:

Trin. v. 454 *Satin tu sanus mentis aut animi tui?*

sic tradit A neque cum Ritschelio scribi debet *sanu's,* qui in prima editione scripsit *satin tu's sanus,* quia reliqui libri praebent *sat intus sanus;* sed *s* littera, postquam verba falso divisa sunt, *intu* vocabulo adscripta est; accedit quod haec collocatio est inaudita, quod R. sensit Prol. p. CIX.

Ut hic cum Ambrosiano *satin tu sanus* retinendum est, sic cum Bembino Eun. v. 559:

*Quid est, quod laetus es? quid tibi vis? satine sanus? quid me adspectas?*

reliqui libri: *satin sanus es* vel *sat insanus es.*

Andr. v. 749 *satin sanus, qui me id rogites?*

recte CDP omittunt *es* quibuscum consentiret A, si

hoc loco exstaret. Etsi his locis pronomen *tu* ipsum non antecedit, tamen quae persona sit, ex verbis antecedentibus vel sequentibus luculentissime apparet; atque ei, qui etiam nunc haesitet atque dubitet, affero hos locos Horatianos:

Sat. II, 3, 128 *tun sanus?* 275 *cum balba feris annos verba palato Aedificante casas, qui sanior?* ubi, quae persona sit, intellegitur ex verbo *feris.* Quae exempla omnia recte tradita esse iam nemo negabit et quid attinet, quod Men. v. 499 traditur *satin sanus es?* ubi *tu* deest neque ita facile intellegitur, quae sit persona. Scripsit autem Plautus *es* verbum ob eam quoque causam, quia syllaba est versui necessaria. Neque debuit R. scribere *-u's:*

Most. v. 320 *Semper istoc modo [tute] moratus,*

si recte inseruit *tute* pronomen.

Nonne igitur rectissime traditur apud Terentium

Phorm. v. 295 *Do istuc: ‚inprudens timuit adulescens', sino:* ||

*‚Tu servos': verum si cognatast maxime?*

Si sic A cum rell. habet et Donatus in Hec. IV, 1, 41, si retinuit etiam Bentleius, cur Fleckeis. et Umpfenb. scribunt *tu servo's? ‚tu servos'* nihil aliud potest significare quam *tu servos es.* Atque invenimus

Phorm. v. 496 *Tu cognatus, tu parens, tu amicus, —*

neque hoc loco scribunt editores *u's;* crediderintne quaerendum esse *es* in ellipsi? Sed in sermone colloquentium primo statim loco cogitatione suppletur, si quid supplendum est, sicut etiam legimus: Adel. v. 456 *Te solum habemus, tu es patronus, tu pater:* Nonne eodem iure mihi liceret hoc exemplum secundum illa duo (plura autem huius generis non inveniuntur) mutare, si vellem recedere a librorum fide? Deinde cur editores *es* omissum esse statuunt post *-us* terminationem, cur

non post *tu?* Minime autem quidquam mutandum est sed acquiescendum in traditis scripturis.

Adel. v. 957 Spengel. et Fl. nulla causa probabili scripserunt *germanu's,* nam D, quem codicem Sp. sequitur, habet:

*Nunc tu germanus pariter animo et corpore*

quo nihil est rectius; sed GEF: *nunc tu mihi es* BC: *nunc tu es mihi,* unde Umpfenb. sic format initium versus: *nunc mihi es germanus,* quod recte se habere potest: Fl. autem falso scripsit *nunc mihi germanu's,* neque enim *es* in ullo codice post illud vocabulum invenitur et omnino inusitata est haec collocatio: Sane lugendum est, quod caremus Bembini testimonio, nam difficile est diiudicatu, utrum D anteponendus sit an GEF. *-u's* synaloephae hic certe nullum exstat vestigium.

Dec. Lab. frg. 28: *nunc tu lentus es, nunc tu susque deque fers* Fleckeis. scripsit: ⏑ *núnc tu lentu's, nunc.* Nonne eodem iure contendi potest, *es* falso additum esse ab eo, qui ignarus esset usus sermonis, vel cum Scaligero scribendum esse: *nunc lentus es tu* vel: *nunc tu's lentus?* Nihil certi de tali fragmento affirmari potest, ut etiam incertum sit, num recte Ribbeck. addiderit *es* Afran. frg. 215: *a, tu eloquens ilicet.*

Atque post *tu* pronomen deesse posse *es* debebant iam pridem concedere viri docti qui *sum* passi essent post *ego* pronomen omitti, velut

Merc. v. 919 *ego stultior, qui isti credam.* Amph. v. 56 *sed ego stultior, quasi nesciam vos velle.* Men. v. 433 *sed ego inscitus, qui postulem.* Men. v. 605 *ne ego ecastor multer misera.* Hec. v. 564 *sed ego stultior, meis dictis qui parere hanc postulem.* Caec. frg. 9 *sed ego stolidus: gratulatum med oportebat prius.*

Atque etiam apud Ciceronem *sum* verbum deest ad Att. IV, 15, 6 *sed hoc ne curaris; ego ineptus, qui scripserim;* I, 17, 9 *ego princeps in adiutoribus atque adeo secundus, nam Crassus impulit.* Itaque falso *es* addi-

derunt cum Lambino etiam apud Ciceronem ad Att. XII, 6, 2 *sed longa oratio est et tu occupatus in meo fortasse aliquo negotio* —, nam et hic *tu* antecedit neque hoc unum exstat exemplum *es* verbi omissi, sed invenimus etiam ad Att. IX, 9, 4: *neque tamen de te, qui maxime meus, cogitavi,* ubi idem Lambinus falso addit *es,* nam in ipsis his enuntiatis relativis a sermone familiari omissionem non alienam fuisse iamiam videbimus. Comparandus hic est alius locus ad Att. XVI, 11, 2, *quod vereris, ne ἀδόλεσχος mihi tu, qui minus?* ubi omissio multo est durior.

Etiam Horatius scribit Satir. II, 3, 236 *segnis ego indignus, qui tantum provideam;* I, 8, 4 *deus inde ego furum aviumque Maxima formido* [1])

Post *nos* et *vos* pronomina deesse posse *sumus* et *estis* formas iam ostendimus exemplis: quod autem haec pronomina valent in ceteris personis significandis, idem praestant *is ille hic* tertiae personae. Atque occurrunt primum apud Plautum haud pauca exempla, quae talem omissionem *est* verbi praebent. Quae omnia mutaverunt viri docti nulla sana ratione, praesertim cum inscriptione hic usus linguae Latinae nobis ostendatur, quae in epitaphio L. Cornelii Cn. f. Cn. n. Scipionis est:

*Is hic situs qui nunquam victus est virtutei,*

quocum conferas Lucil. v. 518 L. *Lucili columella, hic situ' Metrophanes.*

Sed nunc vide exempla Plautina quae ausi sunt mutare viri docti:

---

1) Verg. ecl. III, 109 *et vitula tu dignus et hic.* Aen. XII, 57 *spes tu nunc una, senectae tu requies miserae.* ecl. IX, 34 *sed non ego credulus illis.* Aen. XII, 159 *auctor ego audendi.* Ovid. her. XIV, 106 *tu tibi dux comiti, tu comes ipsa duci* ex Pont III, 2, 73 *non ego crudelis, iuvenes ignoscite.* Tib IV, 13, 11 *tu mihi curarum requies, tu nocte vel atra lumen* III, 2, 5 *non ego firmus in hoc, non haec patientia nostro ingenio.* Prop. II, 6, 19 *cur exempla petam Graium: tu criminis auctor Nutritus durae, Romule, lacte lupae.*

Bach. v. 375 *Nimis hic bellus atque ut esse maxume optabam locus.*

R. ‹*locust*› *nisi malueris* ‹*bellust*›; unde cognoscimus, quam incerta res sit si a librorum fide recedimus.

Pseud. v. 1243 *Nimis illic mortalis doctus, nimis versutus nimis malus.*

R. *doctust.*

Mil. v. 348 *Sed hic illi supparasitatur, hic eae proxumus.*

R. *proxumust,* A videtur habuisse *proxumus,* quod cum C contra B codicem retinebimus. Et post modum finitivum similiter omissum est verbum substantivum: Trin. v. 535 *Alii exsulatum abierunt, alii emortui, alii se suspendere.*

Merc. v. 951 *hic homo non sanus* || *Medicare amicus quin properas mihi?*

iam Guyetus: *sanust* inutiliter.

Trin v. 366 *sed hic admodum adulescentulus.*

Bach. v. 774 *Atque hic quidem opinor Chrysalus.*

Bach. v. 1105 *hic quidem pater Mnesilochi :: Euge socium aerumnae et mei mali video.*

sic versum format Fleckeis, qui tamen falso scribit *quidemst;* audacius Ritschl: *hic quidem pater Mnesilochist :: Euge socium aerumnae video.*

Mil. v. 760 *probus hic conger frigidus.*

Trin. v. 706 *Facile palmam habes: hic victus: vicit tua comoedia.*

Mib. v. 1179 *nam is colos thalassicus.*

Quid attinet quod Nonius habet: *col. thal. est?*

Andr. v. 360 *Paululum obsoni: ipsus tristis: de improviso nuptiae.*

Deinde Mil. v. 986 *haec celox illius, quae hinc egreditur internuntia.* ||

*Quae haec celox?*

sic cum B scribendum est, etsi C habet *illius est,*

ubi *est* falso immixtum est, quod mihi apparere videtur etiam ex sequenti interrogatione, quae item sine *est* exstat.

Mil. v. 1003 *Tum autem illa ipsa nimium lepida minisque nitida femina:* sic B, CD autem *ipsast,* ubi *est* item falso additum est ab eo, qui ignarus esset huius usus.

Mil. v. 519 *Ita ista | huius similis nostrai tua.*

$B^2$ emendavit primae manus scripturam *istas,* et ut hiatus tolleretur scripsit R. *istast,* Ussing. *istast,* Ribbeck: *ita istaec huius similis est nostrae tua;* minime *est* desideratur et incertum est, ubi sit inserendum; hiatus tollitur et tollendus est forma *istaec,* quae de eadem persona posita est v. 516.

Eadem omissio concedenda est generi neutri:

Poen. v. 728 *Haud dubium id quidem.* Geppert. *quidem est.*

Mil. v. 406 *Dudum edepol planum || hoc* (*hic* A) *quidem B.*

ne hic quidem putandum est optimam atque unam medelam hiatus esse inserere verbum substantivum.

Si Mil. v. 99 BC habent: *nihil hercle hoc quidem,* A autem *quidemst,* non minus facile addi potuit *est* quam omitti atque malim cum BC libris facere, quia in antecedentibus verbis: *Istuc quidem edepol nihil est,* ubi *est* necessarium est versui, etiam in BC exstat, cum in A ex his verbis insertum sit illud alterum *est.* Sed quam non omnia in unam formam redigenda sint, etiam saepe in ipsa tertia singularis persona videbimus.

Quos locos omnes iniuria mutatos esse ab editoribus iam intellexímus ex prima atque secunda persona atque etiam magis intellegemus si contulerimus exempla ex Ciceronis epistulis repetita: ad Att. XIV, 12, 1 *dignus ille quidem omni regno:* XII, 10 *tuus autem dolor humanus is quidem, sed magno opere moderandus;* IX,

5, 2 *alter religiosus etiam nunc dies, alter in volgus ignotus;* XII, 10 *consolationis autem multae viae sed illa rectissima;* ad fam VIII, 11, 3 *scaena rei totius haec;* ad Att. IX, 9, 2 *ineptum id quidem, sed puto, hoc simulat;* XIV, 17, 3 *sed hoc tolerabile fortasse, illud vero;* IV, 6, 3 *illud non utile nobis;* XIV, 13$^{b}$, 5 *illud extremum;* IV, 8$^{b}$, 2; XII, 29, 2, quibuscum conferamus ad fam. IX, 18, 3 *ergo hoc primum: sequitur illud: ipse melior fio — deinde — extremum illud est,* ex quo videmus utrumque aptum fuisse et omittere verbum substantivum et ponere.

De plurali *sunt* omisso in talibus exemplis alio loco disserendum erit.

De omnibus igitur iis locis, quibus apud Plautum et omnino in sermone familiari pronominibus *ego tu hic is ille* antecedentibus omittitur verbum substantivum, minime dubitandum est. Sed si duo personae in scena inter se colloquuntur, si alter ad alterum conversus interrogat, tum etiam sine pronomine nemo nescit, quae persona sit appellata. Incipiam a

Curc. v. 414 *Summane salve: qui Summanus? fac sciam;* nos quosque interrogaremus: *wieso Summanus?* atque quis dubitaverit, quin recte omissum sit *es,* qui memoria teneat Horatii locum simillimum, Sat. I, 3, 310 *Corpore maiorem rides Turbonis in armis Spiritum et incessum: qui ridiculus minus illo?* et hic quidem nemo scribere audet *ridiculu's* atque tertiae personae prorsus simile exstat exemplum: Men. v. 877 *Quid esse illi morbi dixeras? narra senex. Num laruatus aut cerritus? fac sciam.* Neque magis debet *es* desiderari in his similibus exemplis:

Poen. v. 246 *Quid molestus?*

Bach. v. 885 *quid illi molestus? quid illum morte territas?*

Men. v. 768 *Quid mihi molestus?* :: *Quia me non novisse ais.*

Poen. v. 328 *Quid tu ais?* :: *Quid mihi molestus? obsecro,*

quae exempla inter se tuentur, neque vero *u's* formae hic esse ullum locum statim etiam apertius videbimus, legimus enim

Poen. v. 1304 *Num tibi adulescens malae aut dentes pruriunt,* ||

*Qui huic es molestus, an malam rem quaeritas?*

et hoc quidem loco *es* traditur ut versui necessarium et positum est ante *molestus.* Atque profecto si in illis superioribus versibus omnino *es* verbum inserendum esset, tum scribere deberemus potius *mihi es, illi es,* quam *molestus es,* quod hi loci demonstrant: Men. v. 615 *Num mihi es irata saltem?* Capt. v. 709 *Quor ergo iratus mihi es?* Rad. v. 1372 *Non tu iuratus mihi es?* Pseud. v. 30 *odiosus mihi es.* Capt. v. 224 *Nam si erus tu mihi es atque ego esse me tuum* Pseud. v. 1166 *quid nunc mí es auctór, Simo,* quem versum quominus Ritschl. scriberet elegantiore metro: *mi aúctor és Simo,* prohibuit: Pseud. v. 231 *Quid mi es auctor, huic ut mittam.* Poen. v. 404 A praebet: *mi auctor es;* sed certo praeferenda est lectio reliquorum codicum, quae hic etiam elegantiores praebet numeros: *Quid núnc mi es aúctor, Milphio?*

Actum igitur de *u's* coalitione in illis, quae supra attulimus, exemplis. Addendi sunt hi loci:

Stich. v. 322 *Quid tam iracundus?*

(nos quoque loquimur: *warum so jähzornig?*)

Truc. v. 355 *Qui tam infacetus, Lemmo adveniens qui tuae.* ||

*Non des amicae, Diniarche, savium?*

Pseud. v. 873 *Eho, an etiam veneficus?*

Ex exemplis tertiae personae omissae huc pertinent: Mil. v. 1111 *Quid is, ecqui fortis?* R: *fortist.* Truc. v. 602

*num obsecro nam ariolus, qui ipsus se verberat?* Stich. v. 769 *Qui Ionicus aut cinaedicus, qui hoc tale facere possit.* De aliis alio loco agemus.

Nunc pergamus ad ea exempla, quibus apparet apud perfecta verborum deponentium omitti verbum substantivum. Atque etsi ea anteponemus, ubi interrogatio est, tamen etiam alia inserere coacti erimus:

Cas: v. 143 *ubi fuisti? ubi lustratus? ubi vidisti?* quod exemplum quam maxime defenditur versu:

Pseud. 619 *ubi tu me novisti gentium aut vidisti aut conlocutus?*

hic autem locus, nisi per se iam satis defendatur *tu* pronomine, non uno alio versu id ipsum *locutus* verbum praebente defenditur:

Mich. v. 372 *Hem quid? Epignomum exlocutus?* Accedunt ex Terentii fabulis:

Phorm. v. 798 *Quid tu? ecquid locutus cum istac, quam ob rem hanc ducimus?*

sic versum praebet Bembinus, cuius auctoritatem cum Umpfenbachio sequor, (qui tamen falso *locutu's* contra codicem scribit): Bentl. autem et Fleckeis. sequuntur reliquos codices, qui praebent: *locutus cum ista es,* quam lectionem ex emendatione consilio facta ortam esse verisimillimum est, quoniam invenimus etiam

Andr. v. 202 *Ita aperte ipsam rem modo locutus, nihil circumitione usus es*

quam librorum scripturam editores servant praeter Spengelium, qui non iniuria quidem dicit simplicitate sermonis comicorum non concedi, ut *es* ex sequentibus *usus es* suppleatur, neque vero debet ob eam causam scribere *locutu's;* nam *locutus* hic est idem quod *locutus es.*

De quibus exemplis omnem dubitationem procul esse abiciendam ostendunt nobis etiam hi versus: Asin. v. 648. *ecquid est salutis? satis locuti,* ubi omittitur *estis* ver-

bum [1]). Trin. v. 563 *Quid hic locutus tecum?* sic tradunt Palatini, quos secutus Hermannus *locutust* scripsit, A autem habet *est locutus*, quo *est* acuitur nulla causa. Atque eo magis credo reliquos libros nobis veram lectionem tradidisse, quod etiam breviores atque satis memorabiles formulae inveniuntur: Trin. v. 567 *Quid tecum Stasime?* sc. *locutus es* vel *loquere.* Andr. v. 82. *Egomet continuo mecum: certe captus est* sc. *locutus sum.*

Adiungo nunc eos locos, quibus apud *nanctus* perfectum deest verbum substantivum.

Capt. v. 154 *Nullumne interea nanctus, qui posset tibi?*
editores: *nanctu's,* sicut etiam

Hec. v. 825 *Quid exanimatus, obsecro, es? aut anulum istum nanctus.*

sic A; rell: *es exan. — — aut unde.*

Initium versus quale a reliquis traditur ferri non potest; id intellexerunt recte Bentl. et Fleckeis, sed cur tum non secuti sunt A codicem? Falso enim scripserunt: *quid exanimatu's, obsecro:* nulla causa nos cogit recedere a Bembini auctoritate, nam quam hic praebet collocatio verborum *obsecro es* est usitata neque Terentio eripi debet: cf. Eun. v. 756: *Num formidulosus, obsecro, es mihi homo?* Phor. v. 742. *Quid? non, obsecro, es, Quem semper te esse dictitasti?* cf. Plaut. Rud. v. 1304 *num medicus, quaero, es?* et Truc. v. 296 *quid id, obsecro, est, Quod scias* v. 941 *quid id, amabo, est, quod dem, dic?*

Sed altera pars versus Hec. 825, ut in Bembino exstat, numeris quidem sufficit, non item sententiae; *aut* prorsus supervacaneum est, si non molestum, sed *unde,* quod praebent reliqui libri, desideramus. Quid igitur statuendum? id quod iam Umpfenbachius statuisse vide-

---

1) Ovid Fast V. 465 *si vos modo vera locuti Uberaque expositis illa ferina dedit.*

tur *unde* expulsum esse coniunctione *aut* falso adscripta et in A et in reliquis. Totus versus igitur est:

*Quid exanimatus, obsecro, es? unde anulum istum nanctus?*

nam *nanctu's* minime cum editoribus scribo adductus etiam his exemplis:

Asin. v. 271 *Hanc quidem, quam nanctus, praedam pariter cum illis partiam.* ubi nemo potuit inserere *sum*, quamquam omissio in talibus enuntiatis relativis durior esse videtur.

Deinde: Trin. v. 61. *Habeas, ut nanctus; nota mala res optumast.*

Truc. v. 844 *Nunc habeas, ut nanctus.* Rud. v. 871 *ut nanctus, habe[as].*

Bach v. 161 *Fecisti, quom istanc nanctus impudentiam.*

Neque Nov. frg. 62 *Tu pueri pusilli simil es, quia enim ad os fers quidquid nanctus est* cum Ribbeckio scribendum est *nanctu's*, sed statuendum *est* falso additum esse.

Neque magis apud *ratus* perfectum desiderari debet verbum substantivum:

Rud. v. 453 *Iam plus mali illud nobis vivit, quam ratae*, ubi *sumus* verbum inserere nemo potest, neque magis *sum:*

Amph. v. 957 *An id ioco dixisti? equidem serio ac vero ratus.*

Quis iam dubitare debet, quin recte nobis sint traditi hi versus:

Rud. v. 1386 *Iam te ratus Nanctum hominem quem defraudares?*

Mil. v. 558 *Ratusne me hominem esse?*

R. *ratu'sne,* Ussing. *ratus ne es,* Ribb. *ratunes dic.*

Addo Epid. v. 596 *Quid ob eam rem istanc emisti, quia tuam gnatam ratus?*

Singulare exstat exemplum, sed etiam similibus de-

fensum et per se firmum, quia, *tu* pronomen ante cedit:

Merc. v. 964 *propterea igitur tu mercatus, novos amator, vetus puer?*

Nunc accedimus ad *ausus* participium, cui quomodo semper potuerint viri docti *es* verbum obtrudere, vix perspici potest:

Epid. v. 710 *Quor dare ausus?* :: *Quia mi lubitumst.*

quamquam A quoque *ausus* habet, tamen Goetz. *ausu's?*

Pseud. v. 348 *Quor id ausus facere?* :: *Lubuit, mea fuit.* Aul. v. 740. *Quor id ausus facere, ut id, quod non tuum esset, Tangeres?*

Men. v. 482 *Ut surrupuisti te mihi dudum de foro,*
*Fecisti funus med absenti prandio.*
*Cur ausus facere, quoi ego aeque heres eram?*

Sic distinguunt R. et Ussing. et scribunt *ausu's* falso; qua in distinctione supplendum est pronomen *ei*, ad quod *quoi* relativum referatur. Quod ut evitaret et ut *quoi* ad *prandio* substantivum referretur, distinxit Vahlenus: *prandio, cur ausus facere, quoi ego?* Sic habemus unum enuntiatum, si *cur ausus facere* verba se applicant ad *fecisti* verbum finitum. Quae structura Plauti simplicitati non apta, sed nimis contorta est. Si cum Vahleno faciam, ut *quoi* accedat ad *prandium*, ego distinguam *fecisti funus m. a. prandio, — cur ausus facere? — quoi ego aeque heres eram?* neque enim interrogatione *cur ausus facere?* sc. *funus* interiecta dirumpitur sermo et fortasse bene demonstratur summa indignatio parasiti iratissimi. Sed utut est, minime desiderari debet *es* verbum, quod illa superiora exempla docuerunt et docent praeterea:

Epid. v. 697 *Qua fiducia ausus primum, quae emptast nudius tertius,*
*Filiam meam dicere esse?* :: *Lubuit, ea fiducia.*

In responso supra iam invenimus *lubuit, lubitumst,* ut videamus, quam certae sint hae formulae loquendi.

Rud. v. 982 *Quid ais, impudens? || Ausus etiam comparare vidulum cum piscibus?*

Pers. v. 416 *Non mihi censebas tantulum argenti fore,*
*Qui nisi iurato mihi nil ausus credere?*
neque denique dubitandum est de

Truc. v. 604 *Loquare: unde es? quoius es? cur ausus mi inclementer dicere*[1]*?*

etiamsi *es* verbum finitum antecedit; nam satis multa afferri possunt exempla, quibus apparet in ipsis talibus inter se coniunctis compluribus interrogationibus omissionem verbi substantivi linguae Latinae accommodatam fuisse. Iam habuimus Bach. v. 885 *quid illi molestus? quid illum morte territas?* Afran frg. v. 211 etiam a Ribbeckio sic retinetur: *quid istuc est? quid fles? quid lacrimas? quid largitus? || Proloquere.*
Adel. v. 214 *Nunc demum venis? cur passus? ubi eras?*

Idem occurrit in interrogationibus subordinatis. Amph. v. 342 *Possum scire, quo profectus, quoius sis aut quid veneris?* Cic. ad fam. VII, 23, 3 *certiorem velim me facias, ubi sint, quando arcessantur, quo genere vecturae.* ad fam. XII, 4, 2 *sed tu quid ageres, quid acturus, ubi denique esses:* — nam sequens *esses* verbum cogitatione supplere vix licet. Durius exemplum invenitur Petron. p. 90, 5 *incidimus in turbam sciscitantium, quod genus hominum aut unde veniremus*[2]). Et qui Poen. 982 *Quid venerit, qui sit, quoiatis, unde sit; ne parseris* non

1) cf. Prop. II, 28, 17 *an contempta tibi Iunonis templa Pelasgae Palladis aut oculos ausa negare bonos.* IV, 11, 13 *ausa ferox ab equo quondam oppugnare sagittis, Maeotis Danaum Penthesilea rates* — 41 *scilicet incesti meretrix regina Canopi ausa Iovi nostro latrantem opponere Anubim.*

2) Aen. I, 517 *quae fortuna viris, classem quo litore linquant, Quid veniant,* Prop. I, 221 *Qualis et unde genus, qui sint mihi, Tulle, penates.*

inserit *sit* verbum, quia non potest, is caveat ne *quoiati's* scribat:

Curc. 407 *Quid eum nunc quaeris? aut quoiatis?*

*Ausus* igitur perfectum sine verbo substantivo relinquendum est neque oportuit

Pacuv. v. 327 *Ségregáre abs te aúsus aut sine illo Salaminam ingredi?*

*Neque paternum aspectum es veritus?* Ribb. scribere *ausus*, etsi recte intellexit *es* non suppleri posse ex sequenti enuntiato. Verum qui nondum sibi persuasit in tali enuntiato *ausus* perfectum sine *es* a poeta esse scriptum, is id credet, si audiverit, quo modo se habeant illa exempla, quibus *es* traditum est, quia versui est necessarium. Sunt autem collocatione *es ausus* adhibita haec: Capt. v. 698 *Cur es aúsus mentiri mihi?* Mil. v. 1402 *Cur es aúsus subigitare alienam uxorem inpudens* — *v.* 1405 *Quare's aúsus? en tibi* atque Truc. 289 *Quia ad foris nostras unguentis uncta es aúsa accedere,* ubi *es* ad hiatum tollendum poni debuit. Truc. v. 607 *Quid tu? quor ausa's alium ted amare hoc homine dicere?* ubi si *es* ante participium positum esset, *ausa* prorsus delitesceret, quod acui debet, ut superiora docent exempla et ut sententia postulat. Unum tantummodo restat exemplum Mil. v. 508: *Quin concubinam erilem insimulare ausus es?* ubi nulle modo potuit poeta scribere *es ausus* propter ultimum pedem.

Qua fiducia igitur ausi sunt viri docti statuere *es* excidisse post *ausus* verbum? Deinde quoniam plura sunt ea exempla, quibus deest *es* verbum, si omnia in unam formam redigenda essent, nonne eodem vel potius maiore iure audere possem illa mutare, quibus *es* traditur? *Cur ausus?* rectissime se habet neque magis dubitationi obnoxium est hoc Terentii exemplum:

Adel. v. 234 *Nunc demum venis? cur passus? ubi eras?*

sic tradit A cum rell., neque Bentl. mutavit, sed Fleckeis., Umpfenb.: *passu's*. Et quam facile in tali interrogatione omittatur verbum, documento sit etiam Cic. ad Att. X, 4, 9 ‚*quid isti, inquam sex tui fasces? cur laureati? si ab ipso, cur sex?*' et multa alia exempla alio loco adscribemus. Neque vero hic praetermittenda sunt:

Most. v. 668 *Quid igitur? iam commentus?* Aul. v. 417 *quid comminatus Mihi?* Merc. v. 622 *Quin percontatus hominis quae facies foret?* Cas. v. 680 *Nimis tenax es? :: Num me expertus uspiam?*

Nunc Terentio paulisper operam demus, a cuius sermone omissionem *es* verbi minime alienam fuisse et alia invenimus exempla et

Phorm. v. 798 *quid tu? ecquid locutus?*

et Andr. v. 202 *ita aperte rem locutus.*

Quae cum ita sint quid mirandum est, si invenimus

Andr. v. 621 *An non dixi esse hoc futurum? Dixti. Quid meritus? Crucem,*

ubi *es* omittunt BCDEGP, Priscian: ‚*quid meritus*' *pro* ‚*quid meruisti*'; Serv. in Aen. I, 519 *quid meritus? crucem;* Donat. in Verg. Aen. XI, 179 ‚*quid meritus*'*? huic dicto responsum est* ‚*crucem*'. Contra hos testes omnes scribunt editores *meritu's*. Lugendum profecto est, quod caremus Bembini testimonio, sed hunc optimum codicem consensurum esse cum reliquis concludere possumus ex

Haut. v. 815 *Vellem hercle factum, ita meritus :: Meritus? quo modo?*

ubi A cum rell. habet *meritus*, sed editores huc quoque advocant illum circulum. Atque etiam alterum *meritus* verbum sine *sum* positum indicat, si quid video, Terentium non scripsisse *meritus es*. Et verbum substantivum cum abest, augetur brevitas et alacritas dictionis. Neque desunt alia exempla, ubi *meritus* perfectum fungitur sine verbo substantivo munere modi finitivi.

Nam praeterquam quod legimus Trin. v. 1049 *illis quoque abrogant etiam fidem, Qui nil meriti: quippe probant,* est vacuus omni dubitatione versus

Capt. 928 *proinde ut tu promeritus de me et filio,*

ubi *tu* antecedit. Deinde nullam habemus causam, cur dubitemus de

Andr. v. 496 *Interminatus sum ne faceres? num veritus? quid re tulit.*

Sic BCDEGP codices praebent hunc versum atque Donatus dicit: *num veritus] Deest ‹es›, apta ellipsis irascenti,* quod iudicium, quamvis sit vituperatum a Ritschelio, ego comprobaverim. Bembini testimonium hic non habemus, sed Eun. v. 854, ubi reliqui codices praebent:

*Num meám saevitiam veritus* :: *Non* :: *Quid igitur.*

*es*

A habet: *veritus es* add. $A^1$, ut videtur. Et additum est illud *es,* quia versui manco deest syllaba, ut talis evadat:

*Num meám saevitiam véritus és? Non quid igitur;*

quem Umpfenb. in textum recepit. Sed Bentleio illa coniectura *es* additi displicuit atque ut responsum Chaereae in ictu exaudiretur, addidit alterum *non,* cum scriberet *veritu's.* Quam coniecturam Fleckeis. probavit. Nos vero, si eam probamus, sic versum scribimus:

*Num meam saevitiam veritus?* :: *non* :: *non? quid igitur?*

nam si aspernamur Bembini coniecturam, ubi est vestigium *-u's* formae? sin autem eius auctoritatem sequimur, *es* est longa syllaba versui necessaria.

Transeamus ad ea exempla, quibus ostenditur saepe etiam participium futuri sine verbo substantivo positum esse. Firmissima exempla sunt, ubi *tu* antecedit: Pseud. v. 879 *Sed utrum tu amicis hodie an inimicis tuis Daturus cenam?* et Trin. v. 714 — *ita nuptum datur Sine dote neque tu hinc abiturus.*

Quam maxime autem idonei sunt, qui inter se acriter defendant:

Curc. v. 75 *Cedo, puere, sinum* :: *Quid facturus?* :: *Iam scies.*

Poen. v. 1675 *Satis sunt trecenti* :: *Quid iis facturus* :: *Tace.*

— v. 167 *Dabo hodie dons* :: *Qui id facturus?* :: *Iam scies.*

(si sic recte scripsit Geppert. contra librorum scripturam *quid*).

Hae quoque sunt certae interrogandi formulae, quae iam inter se defendunt; *facturus* autem verbum sine *es* dici posse minime miramur, quia etiam tales versus traduntur: Aul. v. 354 *Cererin, Strobile, has facturi nuptias?* ubi *estis* omittitur; deinde invenimus Stich. v. 73 *neque equidem id factura neque tu ut facias consilium dabo,* quae lectio Ambrosiani infra defendetur: sicut hic, deest *sum* etiam Men. v. 119 *nunc adeo, ut facturus, dicam;* atque adeo *est* recte omittitur in Bembino Phorm. v. 833 *Quid nam nunc facturus Phaedria?*

Et *es* verbi omissi accedunt haec exempla:

Pseud. v. 394 *Postquam ille hinc abiit, tu astas solus, Pseudule,*

*Quid nunc acturus, postquam erili filio Largitus —?*

Trin. v. 198 *Num quid priusquam abeo, me rogaturus?* :: *Vale*

Mil. v. 696 *quid? nutrici non missurus quicquam, quae vernas alit?*

Stich. v. 264 *quid nunc? iturus an non?* :: *Abi sane domum.*

Quae exempla ad unum omnia mutare illius circuli adiectione facillimum quidem est, sed idem falsissimum. Et addendi sunt hi Terentii versus:

Eun. v. 696 *taces? Monstrum hominis non dicturus? Venit —*

sic habet A cum rell.; quis igitur etiam mutabit:

Andr. v. 724 *Quid nam inceptirus?* :: *Accipe a me hunc ocius,*

qua in scriptura omnes libri consentiunt neque ullo modo est dubitandum; Bembinum quoque *es* omissurum fuisse concludere licet ex Phorm. v. 550:

*Contemplamini me* :: *Quam ob rem? aut quidnam facturus, cedo?*

. sic enim A tradit, et qui hunc sequitur, is minime debet scribere: *-u's;* reliqui autem libri habent *es facturus*, et si omnino *es* poni deberet, non aliter collocandum esset, quod statim docebimus. Equidem a Bembini fide mimine recesserim neque magis id facio Phorm. v. 833 *Quidnam nunc facturus Phaedria?* ubi A omisit *est*, reliqui libri etiam inter se dissentiunt B: *quid* ÷ D: *m̃e ẽ facturus.*

Neque vero iam hausta sunt omnia exempla, sed statim addiderim, ubi in enuntiato subordinato *es* omittitur:

Pers. v. 397 *Quin tu me ducis, si quo ducturus pater?*

Most. v. 671 *siquidem tu argentum redditurus, tum bona,*

*si redditurus non es, non emit bona* (sc. *fide*)

sic enim A tradit secundum Gepp. Stud. II, 78. R. autem scripsit cum BC libris: *si quidem es argentum redditurus.*

Ut Capt. v. 183: *sed si venturus, temperi,* omittitur *es*. sic apud Ciceronem invenimus *est* omissum ad fam. XIV, 14, 1 *si ille modeste venturus, recte in praesentia domi esse potestis. sin homo amens diripiendam urbem daturus est. vereor ut* —, ad quem locum infra redibimus collatis aliis locis: ad Att. VIII. 2, 4 et VII, 6, 2. Apud Ciceronem quoque fungitur participium futuri munere modi finitivi. Ex Plautinis fabulis accedunt haec exempla:

Pers. v. 146 *Hoc si facturus, face.*

Epid. v. 285 *Tum tu igitur, si quid acturus, age.*

Amph. v. 320 *Si in me exerciturus, quaeso in parietem ut primum domes.*

Truc. v. 150 *Si arationes Habiturus, qui arari solent, ad pueros ire meliust.*

BC: *habituris*, sed non est, quod cum Meursio cogitemus de verbo *habiturio.*

Asin. v. 612: *Hanc quoi daturus, hanc iube petere.*

Videmus igitur tot exempla esse similia et inter se acerrime defendentia, ut is, qui ea in unum conspectum collata viderit, iam non audeat ea mutare. Sed ut hanc rem etiam certius absolvamus, nunc eos locos inspiciamus, quibus *es* traditum est apud futuri participium. Atque primum quidem R. scribit etiam

Stich. v. 633: *quid capturu's consili,* sed B habet: *es capturus,* quod quoniam locus est valde corruptus non cum probabilitate mutatur, praesertim cum haec collocatio verborum sit usitata, ut apparet ex Pseud. v. 751 *Sed quid es acturus?* Poen. v. 305 *Si quidem tu es mecum futurus.* Pseud. v. 387 *Cedo iam mihi, quid es facturus?* Bach. v. 716 *quid nunc es facturus? id mihi dic.* Amph. v. 393 *Verum utut es facturus, hoc quidem hercle haut reticebo tamen,* ubi minime debebat Fleckeis. transponere *es facturus* eoque scribere *facturu's.* Neque magis opus est mutare Rud. v. 469: *Etiam és acceptura urnam hanc: ubi tu's gentium?* ubi Fl. haud recte: *acceptura's urnam?* Idem Rud. v. 467 *ubi tú's? etiamne hanc úrnam es áccepturá? ubi's?* collocationem verborum rectissimam mutavit in: *acceptura's.* Alia exempla neque ex Plauti neque ex Terentii fabulis mihi adnotavi: De Rud. v. 181 autem infra agemus.

Primum igitur si iis locis, ubi *es* verbum coniunctum est cum participio *es* ante participium ponitur, non debebant viri docti sibi sumere *es* tot aliis exemplis excidisse incuria librariorum post participium. Deinde multo maiore iure quispiam ausit ea pauca exempla, qui-

bus *es* traditur, secundum illa multo plura, ubi omittitur, mutare. Quod fieri versus vetat. Quae cum ita sint remotissimum est et alienissimum ab omni sana ratione, illa exempla quibus participium futuri pro modo finitivo ponitur omnia mutare.

Quoniam nobis propositum erat eos primum locos percensere, quibus interrogationes exstant, supersunt nunc pauca exempla, ubi in simplici recta dictione *es* omittitur apud perfectum deponentis:

Asin. v. 25 *quicquid roges. Ita me obstinate aggressus.*

quem versum sic recte se habere nemo negabit, qui meminerit invenisse: Haut. v. 815 *ita meritus.* Andr. v. 205 *ita locutus,* quibus simillimus est

Pseud. v. 1130 *Malum quod tibi di dabunt: sic scelestus.*

et statim hic adscribam, quia alio loco vix occasio erit,

Hecyr. v. 392: *Parturire eam nec gravidam esse ex te, solus conscius,* ubi Bentl. et Umpfenb. nihil mutaverunt, Fleckeis. solus scribit *consciu's.*

Amph. v. 407 *Quin quae dixisti modo, omnia ementitus,* ubi quae persona sit, ex *dixisti* verbo satis apparet.

Pompon. frg. 90: *Sarculum hinc illo profectus, illinc rediisti rutrum.* Si Ribb. dicit in adnotatione: *‚profectu's' olim edidi, nec nunc repudio,* id partim falso partim recte dictum est, nam recte sentit *profectus* debere esse modum finitivum neque pendere a *rediisti* verbo; neque vero, quoniam *es* non traditur, desiderandum est. Quod hic aliud verbum finitum sequitur, de hac re iam egimus et mihi hic in mentem venit loci Ciceroniani huc maxime facientis: ad Att. VIII, 2, 4 *ego, si de pace agetur, profecturus; si de bello, videro.* —

Iam accedamus ad perfecta passivi:

Mil. v. 574: *Bene me mones: Ita facere certumst* || *Satin exoratus?*

invenimus (p. 7) *satin sanus?* et videmus Phorm. v. 256 *satin omnia ex sententia?* Trin. v. 1177 *satine salvae?*

Stich. v. 317 *Iam tu piscator factus?*

Trin. v. 975 *pos tu factus Charmides.*

quae exempla et ideo certa sunt, quod *tu* antecedit et quod apud *factus* verbum sicut apud *facturus* etiam aliae personae verbi substantivi omittuntur: saepissime *sunt:* Amph. v. 469 *omnes scient, quae facta,* et alia, de quibus infra. Deinde *sum* omittitur Epid. v. 650 *Quid ego modo huic frater factus? Est* facile deest Trin. v. 429, 127, de quibus item alio loco explicatius erit agendum. Denique apud perfectum passivi omnino deesse posse verbum substantivum certissimum est: Andr. v. 285 *vos semotae,* ubi *estis* omittitur; Amph. v. 217 *dispertiti viri, dispertiti ordines;* Bach. v. 937 *ab eo haec sumpta;* Trin. v. 426 *mille drachumarum — redditae;* Adel. v. 230 *emptae mulieres Complures;* v. 792 *paratae lites;* Phorm. v. 133, Andr. v. 891. Deinde Poen. v. 219 *Binae singulis quae datae nobis ancillae* Adel. v. 331 *in quo nostrae spes opesque omnes sitae,* ubi etiam in relativo enuntiato deest *sunt.* Quam saepe in Ciceronis epistulis haec omissio inveniatur, melius alio loco ostendam, sed etiam apud Horatium Sat. II, 1 67 legimus: *num Laelius aut qui — Ingenio offensi aut laeso doluere Metello?* Sine *sum* verbo legimus Andr. v. 247 *quod modis contemptus, spretus* [1]).

Tertiae singularis personae, quamquam de ea infra fusius agere debemus, non facere possum, quin iam hic pauca adferam exempla; nam haec defendent illa secundae personae et iam hic ab illis defendentur. Cic.

1) Ovid. Trist. II, 496 *repertus ego;* Aen. XI, 392 *pulsus ego?*

ad Att. VIII, 3, 4 *non ager Picenus amissus? non patefactum iter ad urbem?* IV, 18, 1 *quomodo ergo absolutus?* ad Att. XIV, 10, 1 *at ille etiam in foro combustus laudatusque miserabiliter;* ad fam II, 3, 2 *senatus vocatus in curiam;* ad Att. XII, 13, 1 *fatale nescio quid tuae virtuti datum, id quod saepe iam experti sumus;* X, 12, 3 *res in posterum dilata.* Quae cum ita se habeant, nihil dubitandum est de talibus Plautinis versibus:

Mil. v. 907 *Lepide et sapienter commode et facete res parata.*

Bach. v. 373 *Omnis ad perniciem instructa domus opime atque opipare:* ubi R: *‹opiparest›, nisi ‹instructast› scriptum fuit,* ut videamus, quam incerta res sit, si recedimus a fide librorum.

Poen. v. 965 *Numnam in balineis circumductus pallio?*

Curc. v. 190 *Iam huic voluptati hoc adiunctum odium.*

Trin. v. 706 *Facile palmam habes, hic victus, vicit tua comoedia.*

Ut autem hoc loco antecedit *hic,* sic *tu* Trin. v. 975 *pos tu factus Charmides.* Quae omnia exempla rectissime nobis a libris tradita sunt, neque magis vexandi sunt illo circulo hi versus:

Pseud. v. 631 *Vae tibi: tu inventus vero, meam qui furcilles fidem.*

Capt. v. 564 *Tu enim repertus, Philocratem qui superes veriverbio* ‖ *Pol ego ut rem video, tu inventus, vera vanitudine Qui convincas.*

Deinde recte traditur in Bembino reliquisque codicibus:

Eun. v. 286 *Etiam nunc hic stas Parmeno? eho, numnam hic relictus custos, Ne quis* — quocum cf. Poen. v. 965 modo allatum.

Caec. Stat. Frg. 36 *Nam nobis quidem novos repertus Iovis deus*

ubi *repertus est* Prisc. Reg; *est* suprascript. Hall. Babm. m²; omiserunt ceteri. Cur tandem scribit Ribb. *-u's?* Aut in *repertust* scriptura est acquiescendum, nam potest esse tertia persona, aut *est* cum ceteris libris omittendum, quia postea additum videtur etiam in aliis. Et si debet esse secunda persona, id certo ex sententiarum connexu apparebat; *-u's* autem formae, quae semper prima arripitur, hic nullum exstat vestigium.

Priusquam ad enuntiata subordinata procedamus, restat ut de iis locis agamus, qui exclamationem quandam redolent, qui item omnes mutantur, quamvis certi sint et supra omnem dubitationem elati:

Most. v. 817: *Age specta, postes quoiusmodi, Quanta firmitate facti et quanta crassitudine,* ubi nemo, offenditur *sunt* verbi omissione, neque magis debet quisquam offendi:

Trin. v. 536 *en nunc hic, quoius est, Ut ad incitas redactus!* (R. ed. pr. *incitast;* ed. sec. *redactust:* neutrum recte),

Poen. v. 139 *Pol ego amico dedi cuidam operam, dum emit unguenta.* :: *Ut cito*

*Haec commentus! Ecquid te pudet?*

ubi Geppert. quidem scribit *commentust; est* autem prorsus supervacaneum est et quaerere debemus utrum *est* an *es* verbum cogitatione supplendum sit. Equidem propter sequentia verba et alia similia exempla suppleverim secundam personam; utique est enuntiatum perspicuum cuivis audienti. Nos debemus hic quoque sentire Latine, non anxie cogitare ea ratione, quam nostra lingua nobis praebet. Illa similia, de quibus dixi, exempla sunt:

Mil. v. 1227 *Ut tu inclutus apud mulieres!*

qui versus rectissime traditur et etiam certior est propter antecedens pronomen. Et vide porro

Men. v. 815 *Iam vero, Menaechme satis iocatus: nunc hanc rem gere.* ubi viri docti mutant in *-tu's,* quamquam debent intactum relinquere Asin. v. 648

*satis locuti*, omisso *estis* verbo. Estne autem *es* formae singularis durior omissio, quam *estis* pluralis? Accedunt et inter se defendunt:

Men. v. 177 *eu, expedite fabulatus: iam ferio foris;* Pers. v. 462 *euge, exornatus basilice;* v. 667 *eu, praedatus probe;*

Mil. v. 285: *Edepol, Sceledre, homo sectatus nihili nequam bestiam!*

eodem iure, quo ii, qui *-u's* scripserunt, *es* verbum desideraverunt, quisquam censere potuerit hic *est* excidisse. Nihil autem excidit: sic Latine loquebantur; nam habemus etiam

Titin. frg. 48 *Edepol hominis ignavi functus officium.*

et Haut. v. 580 *Clitipho, haec ego praecipio tibi? Hominis frugi et temperantis functus officium.*

Sic enim A habet cum BCDEFP; quod G habet *functust*, misera coniectura est. Neque vero *es* inseri debet, nam omissione augetur indignatio dolorque, quae hoc versu expressa sunt sicut etiam

Men. v. 178 *Mille passuum commoratus cantharum!*

Aliud exclamationis genus est, si adiectivum sine *es* verbo ponitur. Ut enim breviter dicitur Bach. v. 639 *Nugae!* Trin. v. 760 *Gerrae!* Andr. v. 224 *Fabulae!* et apud Horat. Sat. I, 9, 28 *Felices! nunc ego resto;* ut legimus Adel. v. 403 *mirum* Phorm. v. 912 *ridiculum* Hec. v. 424 *odiosum*, atque etiam apud Ciceronem ad Att. IX, 2ª, 1 *supplicandum igitur? miserum* et persaepe sic *gratum* ponitur, velut ad Att. XII, 30, 1 similiaque, ad quae postea redibimus, sic invenimus

Pers. v. 285 *At non sum ita ut tu gratiis.* :: *Confidens.* :: *Sum hercle vero*, ubi quidem nemo adhuc inseruit *es* ita ut *confiden's* scriberet; sed hic esse *confidens* idem quod *confidens es* luculentissime apparet ex verbis sequentibus *sum hercle vero.* Illud *es* quamquam non videmus, tamen inerat sensui Latino in *confidens.* Sin autem hoc exemplum integrum relinquere debent

viri docti, quae est ea constantia, qua mutent illo circulo haec exempla?:

Bach. v. 93 *Tuus sum, tibi dedo operam* :: *Lepidus, nunc ego facere te hoc volo*: R. *lepidu's*, qui verba secundum C codicem scribit, B autem habet *lepidus es, nunc* D *lepidus es nunc,* ubi *es* additum est ab aliquo, qui ignarus esset huius usus linguae Latinae, et ut in B collocatur verbum, adversatur versui. Hic nos Decurtatum sequi debere apparet etiam ex his:

Poen. v. 904 *nihil est nisi dum calet hoc agitur.* :: *Lepidus, cum mones.*

Pseud. v. 249 *Nimis superbe* :: *Nimis molestus* :: *Reprehende.*

Epid. v. 551 *Ubi te visitavi?* :: *Inique iniurius* :: *Quid iam?*

Mil. v. 948 — *sed ne et istam amittam et haec mutet fidem. Vide modo.* :: *Vah delicatus; quae te tamquam oculos amet.*

Most. v. 946 *Puere, nimium delicatus.*

Pers. v. 220 *Mala's.* :: *Scelestus.* :: *Decet me.*

Men. v. 921 *Quid ego dixi?* :: *Insanus, inquam* :: *Egone?* :: *Tu istic.*

sequens interrogatio *egone?* fortasse indicare potest non dictum esse antea *insanus es.*

Rectissime se habet Truc. v. 746 *Stultus.* Schoell. autem *stultu's* scribit comparato versu 730: *Stultus es, qui facta infecta facere verbis postules,* qui minime comparari debet, nam hic quidem *es* traditur neque propter versum deesse potest; deinde hic non habemus breviter dictum simile exclamationi. Potuisse autem Plautum versu aliter formato scribere *stultus, qui postules* apparet maxime ex

Adel. v. 852 *Derides? Fortunatus, qui isto animo sies.*

Sic enim A habet cum rell., et id retinent Bentl. et Umpfenb.; Fleckeis. autem scribit *-u's;* Spengel. dubi-

tat. Prorsus simile quidquam invenimus Phorm. v. 170 *Beatus animus, qui modeste istaec ferat,* de quo versu nemo dubitat, et eadem conformatio dictionis nobis occurrit Mil. v. 443 *Immo ecastor stulta multum, quae vobiscum fabuler;* alia similia velut *ego stultior, qui isti credam* iam attulimus pg. 9. Neque vero silentio praeterierim Pers. v. 261 *Stultus, qui hoc mi daret argentum* [1]).

Verum nunc redeamus ad enuntiata exclamativa et adiungenda sunt:

Phorm. v. 324 *O vir fortis atque amicus:* sic habet A cum rell. neque Bentl. recessit a librorum fide, sed Fleckeis. et Umpfenb. frustra: *amicu's;* Donat. adnotat: *nominativum pro vocativo posuit.* Neque magis *es* desiderari debet

Adel. v. 961 *O noster Demea, edepol vir bonus:* etiam in A reliquum est *[bo]nus* et $C^1FP$ recte omittunt *es.*

Atque nunc addo ea similia exempla, ubi nominativus cum imperativo coniungitur, velut

Capt. v. 864 *Abi stultus, sero, post tempus venis,*

quod ne Fleckeis. quidem mutat; Brix. autem et Mueller. Pros. p. 290 Adnot. *stultu's:* Ussing.: *nominativus pro vocativo ut* Asin. v. 657 ‚*Da meus ocellus, mea rosa, mi anime, mea voluptas*' cfr. 686 ‚*Mi Libane, ocellus aureus*'. Sed multo magis huc pertinent:

Epid. v. 652 *stultus, tace* Goetz: *-tu's*'.

Curc. v. 196 *male mi morigerus, tace* Goetz: *-geru's*

Neque ita diversus est versus Pseud. 208, si B codicem sequimur: — *vah tace,* :: *Quid est?*

---

1) Prop. IV, 2, 15 *Fortunata, meo si qua es celebrata libello;* II, 34, 71 *felix, qui viles pomis mercaris amores;* I, 12, 15 *felix, qui potuit praesenti flere puellae.* Tib. II, 1, 79 *ah miseri, quos hic graviter deus urget, at ille felix, cui placidus leniter adflat Amor;* I, 10, 63 *quater ille beatus, quo tenera irato flere puella potest;*

*male morigerus. male facis mihi, quom sermoni huic obsonas.*

A habet: *Tace Quid est. Male facis mihi, quo;* R. *Vah male morigeru's* frustra scripsit, nam hic haberemus idem, quod Mil. v. 984 *vah, delicatus.* In veteris autem scriptura *male morigerus* verba nimine a *tace* imperativo disiunguntur interiecta interrogatione *quid est,* nam hic habemus homines colloquentes inter se.

Truc. v. 912 *mitte me, inquam, odiosus* Schoell. *-u's*

Mil. v. 1409 *Loquere, nondum nihili factus;*

quod R. scripsit *dum non nihili factu's* haud opus est; et ne sic quidem *factu's* scribatur necesse sit. Neque alienum est commemorare Caec. Stat. frg. 34:

*Iam me adeo manta, iam hoc vide, caecus; animum adventus angit.* Ribb. falso: *vide: caecu's,* nam *es* verbum neque hoc loco neque illis superioribus desiderandum est et removendus procul ille circulus.

Nunc transeamus ad enuntiata subordinata et incipiamus a relativis:

Men. v. 291: *Nam equidem insanum esse te certo scio,*
*Qui mihi molestus homini ignoto quisquis es.*

Vix quisquam hic verba coniunxerit sic: *qui mihi molestus es quisquis,* sed potius apud *molestus* omittitur *es;* quam ob rem ii, qui omitti non posse sibi persuaserint, scribunt *molestu's.* Mihi quidem hoc genus enuntiatorum non ita diversum esse videatur ab illo *tu mihi molestus* ubi certe *es* omittitur, nam *qui* hic est nostrum *der du.* Et vide quot huius generis exstent exempla:

Mil. v. 825 *Eho tu sceleste, qui illi supromus, eho.*

Men. v. 922 *Tu istic, qui mihi Etiam me iunctis quadrigis minitatus prosternere.*

Mil. v. 472 *Edepol ne tu tibi malam rem repperisti,*
*— Quid iam? :: qui hanc attingere ausus mulierem*

ubi apud *ausus* perfectum deesse *es* verbum minime miramur [1]).

1) Ovid. Trist. V, 4, 25 *te qui comitatus Oresten.*

Pacuv. frg. 260 *nimis paene animo es Molli, qui consuetus in armis Aevom agere,* ubi non tacendum est iam Muellerum Pros. pg. 292 dixisse: ‚*Die Beziehung auf die zweite Person ist im vorhergehenden Verse deutlich und in solchen Fällen wird bei Plautus auch in Relativsätzen das Hilfsverbum ausgelassen*', quam sententiam neque alii adhibuerunt neque Mueller. ipse ea usus est. Minime igitur mutandus est:

Curc. v. 62 *ubi tu's, qui me convadatus Veneris vadimoniis.*

Quoniam autem haec exempla omnia mutaverunt viri docti, ad ea defendenda nunc alios locos afferam, quibus eadem condicione aliae formae verbi substantivi omittuntur: Stich. v. 649 *Salvete Athenae, quae nutrices Graeciae,* ubi *estis* omittitur; Trin. v. 393 *Verum meliora sunt quam quae deterruma* — 1049 *illis, Qui nil meriti.*

*Est* autem omittitur a Cicerone ad Att. XV, 40, 1 *sed ne is quidem, qui omnium flagitiorum auctor, bene de nostro* VII, 3, 2 *sed ne dubitaris, quin, quod honestius, id mihi futurum sit antiquius* XII, 38, 3 *sive hanc aberrationem a dolore delegerim, quae liberalissima doctoque homine dignissima, laudari me etiam oportere.* Hor. Sat. I, 5, 45 *Proxima Campano quae villula, tectum praebuit;* I, 4, 51 *ebrius et, magnum quod dedecus, ambulet ante noctem;* I, 6, 83 *Pudicum, qui primus virtutis honor, servabit;* atque etiam II, 3, 144 *Pauper Opimius Qui Veientanum festis potare diebus Campana solitus trulla vappamque profestis, Quondam lethargo grandi est oppressus.*

Quae cum ita sint minime dubitari debet, quin illo Men. versu: *qui mihi molestus homini ignoto quisquis es* recte omittatur *es* in relativo enuntiato *qui molestus;* et coniungenda sunt verba *quisquis es.* Sed. Men. versum 990 habet Vetus codex hunc:

*Mittite istunc :: Obsecro te quisquis operam mihi ut des,*

cui versui deest syllaba; itaque ut versus plenus evaderet, scripsit Camerarius: *quisquis operam ut des mihi* et redditit versum sanum atque elegantiorem, sed estne verborum structura sana? Ritschelio non videbatur esse; qua de causa scripsit *quisqui's*, quod putat idem esse quod *quisquis es*. Et Vahlenus illud Camerarii propositum ita probavit, ut in textum reciperet; neque vero cum Ritschelio scripsit *quisqui's*. Itaque aut coniungit *ut des quisquis*, quod vix facere potest, aut censendum est, *es* apud *quisquis* omitti posse. Sed ne hoc quidem concedendum est, hoc esset unicum exemplum; nam vide cetera: Men. v. 1004 *At tibi di semper adulescens, quísquis és, faciant bene*, Rud. v. 628 *Te optestor senex, quísquis és: Quin tu —;* v. 944 *Iam quísquis és me odio enicas;* 1146 *Tibi deos iratos esse oportet, quísquis és;* Pseud. v. 1141 *Quiquis es, adulescens operam fac compendi quaerere.* Poen. v. 1028 *Et tu edepol quisquis es || quaeso, dic atque impera.* Rud. v. 108 *tibi quidem hercle, quisquis es, magnum malum.* Mil. v. 427 *Quis ego sum igitur, si hunc ignoras? :: Mihi odiosus, quisquis es Et tu et hic*[1]); ubi aut coniungenda sunt verba: *mihi odiosus et tu et hic*, id quod praefero, quia sic facillime *es* omittitur, aut post *es* distinguendum, neque minus facile tum deest *es* in responsione.

Ex his autem exemplis apparet *es* semper poni post *quisquis* et semper plenam syllabam esse, sine qua versus mancus sit, nusquam inveniri talem applicationem qualis statuenda esset Men. v. 990. Huic versui quid igitur faciemus? Res autem est apertissima, nam id quod vehementer desideramus, *es* post *quisquis* invenitur in Decurtato, cuius testimonio si utimur habemus hunc versum:

*Míttite istunc :: Obsecro te quísquis es operám mihi ut des*

1) Verg. ecl. 3, 109 *et vitula tu dignus et hic.*

Versus plenus est, sententia sana. Unus tantum restat scrupulus, quem nobis versus ultimus pes infigere debet. Quod impedimentum non removere possumus nisi alia audaci transpositione (velut *obsecro te mihi ut des operam quisquis es* vel *obsecro te operam ut mihi des quisquis es*) aut nihil aliud reliquum est quam ut statuamus Plautum sibi hoc loco indulsisse. Utique *es* verbum deesse nequit neque cum Ritschelio contra traditam lectionem et scripturam scribere debemus *quisqui's;* nam *es* in hac coniunctione esse plenam syllabam sat multis ostendi exemplis et talis coalitionis adhuc ubi ullum est vestigium? Neque Terentius aliud habet atque *quísquis és,* sed hic unum satis memorabilem locum commemoro:

Adel. v. 394: *Tu quantusquantus nil nisi sapientia es*

sic habent omnes libri, Priscian, Donat. neque Bentl. quidquam mutavit, sed Fleckeis. et Umpfenb. hic quoque scripserunt *quantusquantu's.* Nihil autem mutandum est, nam cum *tu* pronomine illud vocabulum arte coniunctum est et magis excusatur omissio sequenti *es* verbo: *Du bist wie gross auch immer nichts als Weisheit.* Neque vero nos dicere possumus: *ich beschwöre dich wer auch immer,* si mihi licet id in comparationem vocare. Sane interest aliquantum inter *tu quantusquantus,* ubi habemus quasi appositionem, et *te quisquis* [1]).

Capt. v. 928 *Fecisti ut tibi nunquam referre gratiam possim satis,*

*Proinde ut tu promeritus de me et filio,*

ubi deesse posse *es* iam supra ostendimus, cum *de meritus* perfecto ageremus (p. 22) Item supra iam allata sunt exempla: *habeas ut nanctus* (p. 17.) Defenditur igitur

---

1) cf. Prop. IV, 21, 15 *Romanae turres et vos valeatis amici, qualiscunque mihi tuque puella vale.*

Stich. v. 759 *Si hoc eduxeris proinde ut consuetus antehac.*

hic quidem *tu* non adest, sed ex verbo *eduxeris* facile, quae persona sit, intellegitur. R. qui in textu habet *consuetu's* adnotat: *fortasse sic scripsit poeta: ‚si hoc eduxis, proinde ut es consuetus antehac' (vel ‚ut antehac es consuetus');* sed propter *es* omissum nihil mutandum est et iam vidimus supra *qui consuetus* a Muellero defensum. Deinde invenimus:

Capt. v. 861 *facile patior* :: *Credo consuetus puer*

editores: *consuetu's* et praeterea semel tantum apud Plautum inveni *consuetus* Asin. v. 703 *Asta igitur ut consuetus es puer olim,* ubi *es* syllaba versui necessaria est. Quod exemplum nulla condicione nos cogere debet illa superiora firmissima mutare. Praeterea invenimus

Merc. v. 371 *Per mare ut vectus nunc oculi terram mirantur tui:* et quid attinet quod semel legimus Bach. v. 106 *nam ut in navi vecta's credo timida es,* ubi opus fuit poetae scribere *vecta es,* nam *vecta* participium unusquisque ex audientibus coniunxisset cum *credo* verbo.

Iam nobis agendum est de iis enuntiatis relativis, in quibus pronomen relativum positum est pro obiecto ita ut durior nobis videatur esse omissio. Qui autem arbitrantur fieri non posse ut in tali enuntiato *esse* verbum omittatur, ii videant primum Rud. v. 690 *signum in fano hic intus || Veneris, quod amplexae modo unde abreptae per vim miserae* et meminerint illius, quem iam attulimus, Asin. versus 271: *hanc quidem, quam nactus praedam, cum illis partiam,* ubi videmus *sumus* et *sum* formas omissas esse pronominibus personalibus non positis. Attamen de his exemplis nemo dubitationem movit ullam. Atque iam adscripsimus Nov. frg. 62: *quia enim ad os fers quicquid nanctus.* Quae cum ita sint, nihil iam dubitabimus de

Men. v. 1086 *Mira memoras: utinam efficere, quod pollicitus, possies,*

ubi quae persona sit, ex *possies* satis apparet, et cf.

Men. v. 309 *Nummum illum quem mihi dudum pollicitus dare, — —*

*Iubeas, si sapias, porculum adferri tibi*

atque Haut. v. 823 — *iam argentum ad eam deferes, Quod ei pollicitus:*

sic tradit A rectissime; reliqui autem libri: *ei es pollicitus,* quos Bentl. sequitur; sed Fleckeis. et Umpfenb.: *ei pollicitu's,* qua tandem ratione? Nam hi aut ut Bentl. debebant scribere, aut si Bembinum sequi volebant, omittere illum circulum, cuius ideo nullum vestigium est, quod *es* non sequitur perfectum *pollicitus.* Hic videmus lucide, quam sine iure ille circulus adreptus sit ut remedium unum atque primarium. Nam si *es* deesse nequiret, deberet id poni post *ei* cum reliquis libris, quia haec apud Terentium inveni exempla: Hec. v. 786 *quod mihi es pollicita tute ut serves* Haut. v. 329 *Tum quod illi argentum es pollicitus eadem hac inveniam via,* atque hic quidem necesse erat *es* poneretur, quia eo omisso coniungi debebat participium cum *invenio* verbo, et *sum* verbum suppleri. Si igitur omnino *es* verbum illo Haut. versu 823 poni deberet, non facere possemus, quin reliquos libros sequeremur et statueremus in A *es* post *ei* excidisse.

Vides, quam falso viri docti sibi persuaserint hic et aliis locis post *-us* terminationem excidisse *es.* Minime autem cogimur de Bembini fide dubitare: nam praemisimus alia exempla omissi *es* verbi simillima et iam alterum habuimus exemplum (p. 24), Phorm. 550 ubi reliqui libri tradunt *quidnam es facturus,* A *quidnam facturus.* Ibi quoque illa verborum collocatio est rectissima, sed etiam ibi Bembini lectionem retinuimus ut vere Terentianam. Et accedunt secundae personae omissae haec exempla:

Aul. v. 763 *Aulam auri, inquam, te reposco, quam tu confessus mihi*

*Te abstulisse* —, ubi *tu* pronomine etiam magis excusatur omissio,

Trin. v. 969 *Quod ego dem aurum tibi?* :: *Quod te a me accepisse fassus* [1])

Atque ut hoc loco agamus de

Trin. 982 *Aurum redde* — :: *Dormitas senex* — ::

*Fassus Charmidem dedisse aurum tibi,*

sic equidem distinxerim, ut *fassus* verbum magis cum imperativo *redde* cohaereat et ut nos similem conformationem nanciscamur ei quam invenimus p. 32 in *abi stultus* et in eius modi enuntiatis: Mil. v. 1409 *Loquere, nondum nihili factus.*

*Fassus* perfecti unum tandummodo exemplum praeter superiora occurrit: Truc. v. 792 *Nil moror praeterea: satis es fassa,* ubi syllaba est versui necessaria et *es* positum ante participium. Restant ut hic commemorentur

Mil. v. 232 *At tu imperti amice me quod commentus* :: *Tace.* Iam supra invenimus (p. 29) *ut cito commentus.*

Quod attinet Asin. versum 39 *teque obsecro hercle, ut quae locutus despuas,*

iam egimus explicatius de verbi substantivi apud *locutus* perfectum omissione p. 15 sequ.

Eun. v. 651 *in hinc quo dignus cum donis tuis?*

non est cur a fide Bembini: *dignus ĉum* (corr. $A^1$) recedamus; nam, quae persona sit, ex verbo antecedente perspicitur atque omissio apta est interrogationi plenae indignationis. Atque iam addiderim

Pseud. v. 271: *Di te deaeque ament — Vel si dignus alio pacto, neque ament —*

post *si* coniunctionem autem omitti posse *es* iam

1) Aen. V, 192 *nunc illas promite vires, nunc animos, quibus in Gaetulis Syrtibus usi* (sc. *estis*).

apparuit p. 24 et infra ostendemus accurratius. Fortasse huc pertinet

Afran. frg. 363: *eius te suscitat Imago, cuius effigies, quo gnatus patre*

Ribb. inutiliter: *gnatu's*

Titin. fr. 28 *Terra istaec est, non aqua, ubi tu solitus argutarier;*

quatenus apud *solitus* perfectum omittatur verbum substantivum, nobis paulo infra docendum est; hic eo minus dubitari debet, quod *tu* antecedit.

Curc. v. 102 *ubi tu profusus, ibi me pervelim sepultam,* neque magis desideratur verbum et si alio loco, hoc excusatur omissio *πάθει* anus ebriosae.

Mil. v. 412 *quod tu hodie hic verberatus aut quod verberabere*

item certum est exemplum et quid dubitandum de

Merc. v, 751 *Quid ais tu? etiamne haec illi tibi*
*Iusserunt ferri, quos inter iudex datus?*

aut de Amph. v. 779 *Tu qui — infitiare, Estne haec patera, qua donatus illi?*

ubi *tu* pronomine praemisso, quae persona sit, luculentum est.

Nunc sequantur ii versus, quibus continetur enuntiatum a coniunctione incipiens. Atque post *postquam* omitti verbum substantivum nobis ostendunt: Curc. v. 354 *Postquam cenati atque adpoti, talos poscit in manus,* ubi *sumus* omittitur; Amph. v. 1127 *postquam pueros conspicati pergunt ad cunas citi* [1]); v. 481 *Alter decumo post mense nascetur puer Quam seminatus, alter mense septumo,* qua in scriptura libri consentiunt; neque dubitandum est de Asin. v. 350 *Quoniam ille elocutus haecsic :: Quid tum,* ubi non opus est cum Ussingio scribere *haec est* neque cum Fleckeiseno *elocutust,* praeser-

1) Verg. Aen. XI, 248 *postquam introgressi et coram data copia fandi, Munera praeferimus;* V, 362 *post ubi confecti cursus et dona peregit.*

tim cum supra (p. 15) non pauca attulerimus exempla, quibus apud *locutus* perfectum deesse posse diversas verbi substantivi personas apparet. Et hoc loco *ille* antecedit. Quae cum ita sint, quid mirum, si legimus:

Pseud. v. 396 *quid nunc acturus, postquam erili filio*
*Largitus dictis dapsilis lubentias?*

et Titin. frg. 39 *Postquam factus maritus, hac domo abhorres,*

minime opus est scribere *factu's*. Et recte se habet

Amph. v. 1137 *Tu gravidam item fecisti, quom in exercitum Profectus*

Rud. v. 847 *quom ad me profectus ire;* Fl.: *-tu's ires,*

Sext. Turp. frg. 209 *Cum interea nil quicquam a me adeptus praemi nec fructus tuae*
*Benignitatis atque obsequii* —, ubi libri falso addunt *est; u's* formae utique hic est nullum vestigium.

Rud. v. 1234 *isto tu's pauper, quom nimis sancte pius.*

Et ut supra iam vidimus recte traditum esse

Epid. v. 596 *Quid ob eam rem istanc emisti, quia tuam gnatam ratus?*

sic Trin. v. 1165 *Quid ego feci?* :: *Meum corrumpi quia perpessus filiam.*

neque Amph. v. 379 *Quia vaniloquos, vapulabis* aliter se habet, quam ad. Att I, 24, 6 *ille alter uno vitio minus vitiosus, quod iners, quod somni plenus, quod imperitus, quod ἀπραχτότατος; sed voluntate ita* κακνέτης, *ut odisse coeperit.*

Mil. v. 322 *Mirum lolio victitare te tam vili tritico*
*Quid iam?* :: *quia luscitiosus.* :: *Verbero, edepol tu quidem*
*Caecus, non luscitiosus*

Pseud. v. 244 *Redi et respice ad nos: tametsi occupatus, Moramur, mane.*

sic ego distinxerim, ut *occupatus* magis pertineat ad *mane* imperativum, ut hic quoque locus illius generis sit, cuius multa attulimus exempla p. 32. sq.

Post *si* coniunctionem deesse posse verbum iam ostendimus exemplis (p. 24), sed qui nondum de hac re sibi persuaserint, ii certo his locis convincentur: Cic. ad Att. XIV, 5, 2 *sed vides magistratus, si quidem illi magistratus;* ad fam. X, 26, 2 *aut si iam confecta;* — XII, 10, 2 *sin quid forte titubatum;* Hor. epist. II, 2, 100 *si plus apposcere visus, fit Mimnermus* Rud. v. 1075 *Si ille te comprimere solitus, hic nos noster non solet* Hec. v. 780 *Sin autem ob eam rem iratus gnatus* (A). Itaque nihil mutandum est

Epid. v. 630 *Si quidem istius gratia Id remoratus nimium advenisti cito*

et Pseud. versum 271 *vel si dignus alio pacto* iam attulimus.

Quae cum ita, sint Merc. v. 726 ne tum quidem desideraremus *es,* si cum Ritschelio scriberemus *si innoxius audacter quamvis dicito.* Sed traditur *scio innoxius,* quam lectionem recte retinuisse mihi videtur Ussing., qui totum illum locum sic conformavit: Dor: *Dictum oportuit*

Ly: *Non possum, ita instas: urges quasi pro noxio*

Dor: *Scio: innoxius* Ly: *Audacter quamvis dicito*

Dor: *Dic igitur*

De Men. v. 293 *Seu tu Cylindrus seu Coriendrus, perieris*

eo minus dubito, quod ‚*tu*' antecedit.

Merc. v. 630 *de istac re tu argutus es, ut par pari respondeas*

*Ad mandata claudus, caecus, mutus, mancus, debilis*

*es* verbum in altero versu ad perspicuitatem sententiae minime desideratur: R. frustra: *claudu's*

Pseud. v. 1050 *Atque edepol quamquam nequam homo recte mones:* sic A habere videtur, cum ceteri praebeant *homo es,* et Ambrosiani lectio defenditur illo supra allato exemplo: *tametsi occupatus mane.* Epid. v. 96 *nequam homo es, Epidice* huc nihil facit.

Neque vero silentio praeteream alium locum, quo editores falso addiderint *es* verbum:

Truc. v. 929 *Quamquam es bella, malo tuo, nisi nunc ego aliqui gaudeo.*

Hic Schoell. scribit Acidalium secutus *malo tuo es,* sed vereor, ut verbum addendum sit; nam cf. Asin. v. 471: *Malo hercle iam magno tuo, ni isti nec recte dicis* et Cas. IV, 4, 6 *Malo maxumo suo hercle ilico, ubi tantillum peccassit.* Itaque ut hic Casinae versus est: *es ist sein grösstes Unglück, sobald er,* sic ille Truculenti locus significat *wenn du auch schön bist, es ist dein Unglück, wenn ich* —. Schoellii autem scriptura prorsus falsam praebet sententiam et minime *es* addendum est.

Nondum commemoravi Ussingium scripsisse *amicu's:*

Most. v. 980 *Vera cantas* :: *Vana vellem* :: *Patris amicus videlicet,*

ubi magis *est* quam *es* supplendum est.

Haec sunt exempla (fere centum septuaginta), ubi viri docti *es* post verbum in *-us* terminans excidisse sibi persuaserunt atque censuerunt restitui debere et id fieri posse, eo quod scriberetur *-u's,* nam *us* et *es* syllabas in unam coaluisse. Ut iam de hac re decernamus, videamus nunc ea exempla, quibus *es* illud quidem traditur post *-us,* sed ita, ut versus hac plena syllaba carere nequeat: Sunt autem Plautina haec: Capt. v. 412 *Quom apud hunc confessus es et genus et divitias;* Asin. v. 703 *Asta igitur ut consuetus es puer olim;* Curc. v. 585 *Miles pulcre centuriatus es expuncto in manipulo;* Epid. v. 82 *Nisi quid tibi in tete auxilist, absumptus es;* Aul. v. 653 *Insanis; perscrutatus es Tuo arbitratu* Rud. v. 142 *tu huc vocatus es ad prandium;* Trin. v. 715 *Sin aliter animatus es, bene quod agis;* Mil. v. 508 *insimulare ausus es;* Amph. v. 902 *nisi etiam hoc falso dici insimulaturus es;* Bach. v. 73 *malacissandus es;* Most. v. 495 *Interdum inepte stultus es;* Epid. v. 106 *Praeter aetatem et virtutem stultus es;* Pseud. v. 261 *stultus es*

*rem actam agis;* Merc. v. 934 *stultus es: noli istuc, quaeso, dicere;* Bach. v. 464 *Tace, Stultus es; qui illi male aegre patere dici;* Truc. v. 730 *Stultus es, qui facta infecta facere verbis postulas;* Poen. v. 136 *Nunc mihi blandidicus es, heri in tergo meo;* Pseud. v. 256 *inaniloquos es;* Men. v. 499 *satin sanus es;* Men. v. 322; Pseud. v. 356 *Tu qui pius es istoc genere natus, nummum non habes;* Bach. v. 73 *Ah, nimium ferus es. Mihi sum;* — 160 *tibi ego an tu mihi servos es;* Capt. v. 570 *et tu quidem servos es?;* Amph. v. 378 *Quoius es?* Epid. v. 84 *solus es nunc;* Capt. v. 427 *probus es homo* Most. v. 325 *ocellus es meus;*

His locis omnibus — et fortasse me unus vel alter invitum fugit — illud *es* quidem traditum est post *-us* terminationem, sed plena syllaba est quae a versu postulatur. Qui loci non pro illa ratione mutandi in *-u's* induci possunt, sed multo magis contra eam pugnant, neque minor est numerus eorum locorum, quibus quamquam vocabulum in *-us* terminans inest in enuntiato, tamen *es* non post id vocabulum positum est. Atque illa exempla ubi *es* collocatum est ante *ausus* perfectum vel ante participium futuri vel inter *mihi* et *molestus* et similia iam attulimus. Accedunt: Trin. v. 1014 *Condalium es oblitus, postquam thermopotasti;* Bach. v. 1009 *nisi quid magis Es occupatus, operam da;* Men. v. 926 *et postquam es emissus, caesum virgis subfucia scio;* Truc. v. 733 *Plus olim es intromissus, quom dabas;* Epid. v. 108 *quia captivam genere prognatam bono De praeda es mercatus;* Men. v. 1061 *Tun meo patre es prognatus;* Bach. v. 121 *hem quam, o Lyde, es barbarus;* Trin. v. 1063 *Nisi quidem es obnoxius;* Poen. v. 573 *probus homo es;* Curc. v. 7 *tandem es odiosus mihi;* Most. v. 1142 *nimis qui es orator catus;* Epid. v. 81 *solus nunc es;* Poen. v. 1151 *nunc es plane meus;* Capt. v. 444 *tu mihi erus nunc es, tu patronus, tu pater;* Amph. v. 375 *quoius nunc es;* Capt. v. 239 *tu es pater proxu-*

*mus;* Truc. v. 387 *tu nunc superstes solus sermoni meo es;* Rud. v. 525 *Edepol Neptune es balineator frigidus;*

Intellegimus igitur ex iis exemplis quibus *es* post *-us* ponitur, viros doctus nullum argumentum adsciscere posse ad sententiam adiuvandam, qua putant iis locis, ubi desiderant verbum *es*, id excidisse post *-us* terminationem. Quin etiam quae restant exempla et quae alio loco adscribentur, habent *es* post vocales finales *u* vel *o* vel *a*. Videmus, ubicumque *es* post consonantem *s* vel alias tradatur, esse plenam syllabam, editores autem *es* ibi, ubi non traditur, versui semper ita reddere ut cum syllaba antecedente in unam coeat et nihil fere superstes sit illius plenae et longae syllabae. Ex hac igitur parte quam vehementissime impugnanda est illa ratio *-u's* scribendi. Quae eo magis incerta et lubrica est atque mihi maximam dubitationem statim ab initio eo iniecit, quod viri docti illa adhibita effecerunt, ut in poesi scenica Latina et omnino in lingua Latina — nam etiam lyricorum poetarum qui sunt pauci loci vix excipiuntur — nullum exstet exemplum *es* verbi omissi, cum tam saepe et tam audacter ceterae personae verbi substantivi atque etiam *estis* omittantur viris doctis adsentientibus. Qua in re quam longe a vero aberraverint, confido me ostendisse. Omnia illa exempla, de quibus egi, liberanda sunt illo circulo; nam statuendum est iis locis *es* omissum esse ab ipsis scriptoribus. Et quod in comoedia secunda singularis persona prae ceteris saepius omittitur, quam vel apud Ciceronem vel apud Horatium, id positum est in natura poesis senicae, ubi secunda persona maximum occupat locum et ubi alter ad alterum conversus loquitur neque quidquam ad perspicuitatem desideratur.

Adhuc igitur nullum locum habet *-u's* synaloepha, adhuc nullum talis coalitionis exstat exemplum. Sed supersunt etiam pauca exempla, quae iam tractanda

sunt, ubi *es* post *-us* traditur et viri docti statuerunt has syllabas in unam coalescere debere:

Trin. v. 985 *Quam obrem?* :: *Quia illum quem ementitus es | ego sum ipsus Charmides.* Sic versum R. in editione prima in textum recepit atque de hac caesura secundaria, quae est post quintam arsim, egit Prol. p. 274. Cum autem iterum ederet hanc fabulam, usus est Fleckeiseni coniectura scribentis *ementitus is,* quae certe neque necessaria est et post *illum* etiam *is* pronomen cum vi quadam acui mihi nimium videtur esse. Verum enimvero si amplecterer hanc mutationem, equidem facilius scriberem *ementitus is* mutato *es* in *is,* et *es* verbi omissi apud perfectum *ementitus* supra attuli exempla et multa similia (p. 26 et 38). Minime vero hoc loco primo scriberem sine ulla necessitate *-u's,* quoniam adhuc nescio, num haec unquam exstiterit synaloepha. Prorsus simile quid occurrit

Trin. v. 977 *Proin tute itidem ut charmidatus es | rursum recharmida*

sic versus traditur eadem caesura, quam si statuimus, nescio, quo modo ingratior esse possit (cf. R. Proleg. p. 215) haec verborum *charmidatus es* in caesura diremptio. Sed Hermannus scripsit: *¿Proinde tu itidem ut charmidatu's rursum te recharmida?*, et R.: *proin tute it. ut charmidatu's rursum te decharmida.* Cur autem *tu* et *te* verba coniunguntur in unum? Quod si non facimus, non caremus accusativo. Versus igitur est hic:

*Proín tu te ítidem ut chármidátus és rursum decharmida.*

*-u's* autem synaloephae ne hic quidem ullum apparuit vestigium. Sed Fleckeis. scribit

Rud. v. 181 *Si tu de illarum cenaturus vesperi es*
*Illis curandum censeo, Sceparnio,*
*Si apud méd essúru's, mihi dicari operam volo*

libri autem versum sanum praebent: *apúd me essúrus és, mihi dari operam volo;* quam scripturam recte

tuetur Muell. Pros. p. 90; cf. Lachm. ad Lucr. p. 195. Hoc quoque loco *-u's* procul abiciendum est.

Asin. v. 333 *Tum igitur tú divés es factus? Mitte ridicularia*

hanc traditam lectionem defendit Mueller. l. s. s. p. 49: *divēs*, neque vero cum Fleckeis. *factu's* scribi debet, quam formam ignoro. Mallem tum scribere *dives factus* nam habuimus exemplum *tu factus* verbo *es* omisso.

Amph. v. 583 Fleckeis. quidem scribit: — *At ego Faciam te hodie proinde ut meritu's, ut minus valeas et miser sis*

sed hoc loco recedunt editores ita a tradita lectione et versuum divisione, ut ex hoc versu mihi obtrudi *-u's* non patiar; sed apud *meritus* perfectum omitti posse *es* supra ostendimus exemplis (p. 21).

Pers. v. 484 *Iam liberta auctus?* :: *Enicas*

sic habet A rectissime et aptissima est haec brevis interrogatio; reliqui libri: *auctus es* falso *es* addito.

Curc. v. 708 *Quándo vir bonus és, responde, quod rogo*

non necesse est cum Goetzio scribatur *bonu's*.

Pseud. v. 1177 *Quid ais? tune etiam cubitare solitus in cunis puer?*

*solitus* habet C recte; reliqui *solitus es* atque v. 1178 *Etiamne facere sólitus és scin quid loquar*, omnes libri habent *es*, quod etiam versui est necessarium ita ut ex hoc versu *es* in priorem se insinuasse videatur. Illo loco autem C codicem sequi non vereor, neque enim *es* syllaba a versu toleratur et iam habuimus Bach. 93 (p. 31) exemplum, ubi in Vetere *es* falso est suprascriptum. Denique apud *solitus* perfectum deesse posse verbum substantivum hic ostendere mihi liceat his exemplis: Hor. Sat. II, 1, 74 *ubi se remorant nugari soliti* Enn. Sat. X, *Quaerunt in scirpo soliti quod dicere nodum* Hor. Sat. II, 3, 144 *Opimius qui solitus potare* Rud. v. 1075 *Si ille te comprimere solitus, hic nos noster non soll* Titin. frg. 28 *Terra istaec est, non aqua, ubi tu*

*solitus argutarier* Ovid. fast. III, 305 *cui tu solitus promittere.* Et etiam illo Pseuduli versu *tu* pronomen antecedit. Nunc venimus ad versum valde ambiguum

Capt. v. 831 *Nescio quem ad portum nactus es, ubi cenes, eo fastidis,*

quem Fleckeis. habet pro versu trochaico, Studemund pro iambico septenario, Ussing. versum damnat ut non Plautinum. Itaque necessitas *u's* statuendi non ita magna est.

Epid. v. 61 pro *timidus es* verbis Goetz. scribit *timidu's;* aliter illos versus format Mueller. Pros. p. 465 retinens *timidus es,* aliter Ussing. item retinens *timidus es,* qua in re his adsentior.

Truc. v. 166 *qui antehac amator summus Habitus, si istunc*

si B; reliqui libri: *habitus est,*

qui locus est incertissimus. Alii *si* retinuerunt, Seyffert. adeo *si is,* alii scripserunt *habitu's nunc; u's* autem forma ex hoc loco minime effici debet; deinde in hoc enuntiato relativo post *qui* quam facile omitti possit *es,* demonstravimus p. 33 sequ. Fortasse *est (si = st)* rectius retinetur, pro certo nihil affirmari potest.

Aliter quam Goetz. conformavit Brixius Nov. Annal. 91 p. 58:

Aul. v. 830 *rédde aurum, inquam, ut huic reddatur* :: *unde?* :: *quod modo fassus es*

*esse in arca: soleo hercle ego garrire nugas, ita loquor*

Goetz: *Quód modo fassu's esse in arca.* Equidem cum Brixio facio, sin autem Goetzii divisio versum amplectanda sit, illud *es* falso additum esse statuam, (vix autem quisquam cogitaverit de *fássus és ésse in árca*) nam apud *fassus* perfectum omitti *es* apparuit iam supra p. 39.

Curc. v. 65 *iniuriumst,* || *Qui quod lenoni nullist, id ab eo petas,*

ubi *iniuriumst* per se stare potest, nam etiam Aul. v. 256 invenitur *me illi irasci iniuriumst* et Adel. v. 106 *tu nunc tibi Id laudi ducis, quod tum fecisti inopia? Iniuriumst.* Itaque cogitaverit quispiam *iniuriumst* retinere et *qui* mutare in *si.* Neque vero opus est; sed minime debemus emendare: *iniurius es,* nam *es* a versu non toleratur nisi coalitum cum *-us,* cuius coalitionis adhuc certum nullum exstat exemplum: *iniurius, qui petas* est idem dictionis genus quod *fortunatus, qui sies* (p. 32), et habuimus Rud. v. 1152 *tu iniurius* Epid. v. 551 *inique iniurius.* Hoc autem loco etiam id eo verisimile est *es* numquam fuisse, quod coniunctivus sequitur, quam in rem accurratius inquiremus (p. 61).

Mil. v. 1223 *Ut amari videor* :: *Dignus.*

BC praebent ‚*dignus est*', D ‚*dignus es*';

statuo *est* quondam additum fuisse ab aliquo, qui nesciret in eius modi breviter responsis deesse solere verbum; invenimus autem *lepidus, iniurius* similia (p. 31).

Adhuc igitur nullum certum exstitit exemplum, quod nos cogeret statuere synaloepham *-u's* ex *-us* et *es* ortam. Certius autem exemplum videri potest:

Capt. v. 965 *sátis facúndus: sed iam fieri dicta compendi volo*

libri enim habent hic omnes *facundus es,* sed usus Plautinus postulat, ut hic *es* omittatur, sicut in ‚*satis locuti, satis iocatus, nimis molestus*' et in similibus (p. 30); *es* autem falso addi potuisse etiam ex alio exemplo intellegimus, ubi nemo quin verbum delendum sit, dubitat: Men. v. 424 habet B: *tanto neqiore s:* neque illud *es* a versu toleratur et *tanto nequior* est illa formula, de qua Hauptius egit Opusc II, 323; Invenimus enim: Pers. 326 et Truc. 953: *tantò melior* Bach. v. 211 *en non tantulum unquam intermittit tempus quin eum nominet.* :: *Tanto hercle melior*, ubi difficile dictu est, quid supplendum sit cogitatione. Ex quo loco

discere possumus, quam perperam nos de verbo supplendo loquamur. Romanorum mens lingua Latina imbuta et ingenio Latino alta nihil supplebat, quia nihil desiderabat. Neque debemus regulis linguae Germanicae conformare velle linguam Latinam. Cf. etiam Stich. v. 749 *Totus doleo* :: *Totus? tanto miserior* Ovid. Met. XIV, 657 *Pomaque mirata est: Tantoque potentior inquit Paucaque laudatae dedit oscula,*

Nunc adiungere debemus:

Trin. v. 912 *Iam recommentatus nomen?* libri: *‹-tus es›*

ubi R. *-tatu's,* sed Bothius *-us nomen,* quod retinendum est et defenditur his locis: Most. v. 668 *quid igitur? iam commentus?* Poen. v. 139 *ut cito haec commentus* (cf. p. 21)

Deinde Trin. v. 96 *si id non me accusas, tute obiurgandus* :: Scio

libri: *si id me non accusas, tute ipse obiurgandus es*

Hunc igitur versum etiam alio additamento depravaverunt librarii; quid autem facilius addere potuerunt, quam *es* quod ignari huius usus desiderarent? Atque huius omissionis exemplum exstare minime admiramur, quin etiam exspectamus, si novimus tales locos Ciceronianos: ad Att. VII, 3, 12 *reliqua, quae nosti, ferenda;* — VII 3, 5 *exitus in alteram partem magis timendi;* — X, 12, 2 *Sicilia petenda;* — XII, 43, 1 *sed ferendus tibi in hoc meus error. ferendus? immo vero etiam adiuvandus;* — XIII, 13, 12 *aut cessandum igitur aut aliquid excogitandum.* atque hos versus Plauti: Asin. v. 778 *spectandum, ne quoi anulum det* Stich. v. 54 *Faciendum id nobis, quod parentes imperant.* Sic etiam *tute obiurgandus* rectissime se habet pronomine praesertim praemisso (nisi malueris *tu obiurgandus es.*)

Atque Ritschelius Proleg. p. 109 ea exempla quibus *es* traditur et ea, ubi *es* non traditum est inter se mixta

simul commemoravit neque satis disiunxit, ut mihi tum videatur nondum tam firma sententia de *-us* et *es* syllabarum coalitione usus esse quam postea ei succrevit.

Restat Mil. v. 408 *Ne tu edepol stultitia tua nos paene perdidisti*

*Dum'te fidelem facere ero voluisti, absumptus paene,*

hic quoque R. primum adnotat Guyeti lectionem: *absumptus*, cum libri habeant *absumptus es*, nisi quod B *ses* e correctura. Etiam hoc loco *es* falso interpolatum est, quod deesse posse nobis demonstrare iam non opus est.

Nunc eo pervenimus, ut rationem subducere debeamus. Sunt igitur tria vel quattuor exempla quibus *es* post *-us* ita traditur, ut a versu tolerari non possit, nam *es* syllaba est longa, gravis, plena et, quam saepe talis tradatur, vide p. 43. Ex illis autem perpaucis locis — ab his enim viri docti, si non profecti sunt, proficisci debuerunt neque vero a falsa sententia, qua putarent *es* nunquam, nusquam in lingua Latina omissum esse — concluserunt viri docti coalescere posse *-us* et *es* in unam syllabam, quod minime verisimile, quod inauditum est, quod ut credamus, convinci debemus firmissimis argumentis. Et quod Ribbeck. in Vergilium quoque hanc synaloepham induxit et Bergk. in Catulli hendecasyllabum 23, 27 *centum desine: iam satis beatu's* vel alii in Horatium, id praeter hos ipsos nemo accepit. Sed in poesi scenica haec *-u's* forma virorum sententia doctorum ita grassatur, ut ducenties admittatur vel potius inducatur. Verum nunc sunt ceteri loci, quibus *es* non traditur et quibus plena syllaba aut debet aut potest esse et quibus certo interpolatum est, omnes liberati illo circulo; nam docuimus minime fere ducenties incuria librariorum *es* omissum esse (p. 3) sed a poetis ipsis non scriptum propter usum sermonis familiaris: cf. etiam p. 5. Restant tres vel quatuor loci, — et nobis iam disceptandum est, utrum inducti his perpaucis versibus

statuamus linguae Latinae vel versui antiquae poesis scenicae licuisse talem synaloepham an secundum illum ingentem numerum exemplorum verbi substantivi omissi credamus quattuor *es* a librariis ignaris falso addita esse et audeamus delere. Quoniam illa synaloepha nullo alio argumento nullo testimonio defenditur, equidem confidenter contendo, illam nunquam exstitisse in versibus Latinis.

Et si ego quoque his quattuor locis commotus paulisper haerebam, num in his Plautus voluerit coalescere *us* et *es*, tum prorsus omnem haesitationem abieci cum Terentii fabulas perquisiveram. Tum mihi persuasi illam synaloepham nunquam fuisse. Itaque exempla Terentii hic separatim etiam tractabo et videbimus, quam egregie his sententia nostra confirmetur. Triginta fere locis scripserunt editores *-u's;* prorsus nullo autem loco ullum vestigium est talis synaloephae. Et paene de omnibus locis iam supra egimus, nam adiunximus eos similibus Plautinis, ut doceremus sermoni comicorum omissionem verbi substantivi aptam fuisse ita, ut ubique falso desideraverint viri docti *es* verbum. Nunc exempla Terentiana in unum locum conferemus, ut appareat quam perperam contra omnem fidem librorum etiam versui Terentii obtruderint *-u's* formam. Primum igitur afferam ea, ubi nec in Bembino nec in ceteris libris *-us* et *es* syllabae coniunctae traduntur ita, ut versus postulet ut in unam syllabam coalescant: Sunt autem hi versus, in quibus A cum reliquis libris consentit: Eun. v. 286 — *eho numnam hic relictus custos?* — 696 *Monstrum hominis, non dicturus?* Adel. v. 234 *Nunc demum venis? Cur passus? ubi eras;* Adelph. v. 852 *fortunatus, qui isto animo sies;* Adel. v. 961 *O noster Demea edepol vir bonus!* — 394 *Tu quantusquantus nil nisi sapientia es;* Phorm. v. 324 *O vir fortis atque amicus!* — 9235 *Tu servos;* — 496 *Tu cognatus, tu parens;* Hec. v. 392 — *gravidam esse ex te, solus conscius*; — 825 — *unde*

*anulum istum nanctus?* Andr. v. 202 *ita aperte rem locutus;* Haut. v. 815 *ita meritus;* —580 *Homini frugi et temperantis functus officium;*

Neque ullam *u's* formae ausam praebent ii loci, quibus in reliquis praeter Bembinum libris *es* verbum illud quidem traditum est, sed non post vocabulum in *-us* terminans collocatum:

Phorm. v. 798: *Quid tu? ecquid locutus cum istac*
ceteri libri, quos sequuntur Bentl. et Fleckeis: *ista es,*
falsissime Umpfenb, ‚*locutu's*' (vide p. 15)
Phorm. v. 550 — *aut quidnam facturus, cedo*
ceteri libri: *nam es f.;*
editores falsissime: ‚*facturu's*'*?* (vide p. 24)
Haut. v. 823 A: *Quod ei pollicitus*
ceteri: *ei es pollicitus:*
unde editores sumpserunt: *-citu's*? (vide p. 38)

Hec. v. 825 A: *Quid exanimatus obsecro es:* ceteri: *es exan.* Bentl. et Fl.: *exanimatu's obsecro* (vide p. 16)

Neque magis intellego, cur Fleckeisen. *u's* formam induxerit

Haut. v. 320 ubi omnes libri habent: — *multimodis iniurius, Clitipho, es* — (nonnulli: ‚*est*').

De qua collocatione conferas velim velut Eun. v. 756: *Num formidulosus, obsecro, es mi homo?* alia exempla vide p. 16

Uno loco Eun. v. 854, (de quo vide p. 22) perhibet A quidem illud *es,* cum ceteri libri eo careant, sed videtur in A coniectura esse suprascriptum, qua si utimur *es* plena syllaba est, ut *u's* synaloephae ne hic quidem sit ullum vestigium.

Iam enumerandi sunt versus, qui in A non exstant, sed in quibus A cum reliquis consensisse ex superioribus exemplis verisimile est: reliqui autem libri praebent: Andr. v. 621 *quid meritus? Crucem;* v. 496 *quid veritus?* v. 724 *quid nam incepturus? Accipe a me;* Adel. v. 956 *nunc tu germanus* D: *nunc tu mi es g:* G *nunc*

*tu es mihi* BC Andr. v. 749 autem in CD *satin sanus, qui me id rogites* nobis traditam esse veram lectionem apparet ex

Eun. v. 559, ubi A tradit: *satine sanus,* ceteri libri falso addunt *es*, de quo supra (p. 7) disseruimus. Item cum A legere debemus

Eun. v. 651 *in hinc, quo dignus, cum donis?*

Restat Phorm. v. 179, ubi omnes libri habent *‚nullus es'*: Priscianus quoque bis; et Umpfenb. sic totum versum formavit:

*Núllus és Geta ni iam áliquod tíbi consílium célere réperis*

quod facilius comprobo, quam ut cum Bentl. et Fl. scribam: *nullu's Geta — reperies; u's* autem forma procul abicienda est.

Tandem venimus ad *i's* syllabam, quam ex *is* et *es* etiam apud Terentium oriri passi sunt viri docti. Apud Plautum quam falso *quisqui's* scriptum esset vidimus. Atque primum quidem Fleckeis. *homini's* induxit, sic scribens Haut. v. 848

*Quaeso quid tu homini's: Quíd [nam]st? Iamne oblitus es;* BCDEFGP autem habent versum integrum:

*Quaésó quid tu hominis és: Quid? Iamne oblitus es?* solus A: *quid est:* hoc *est* autem quam facile addi potuerit, quis negat?

Deinde Andr. v. 702 legimus in BCDEGP:

*Quis videor? Miser aeque atque ego; Consilium quaero: Fortis*

A quid habuerit nescimus. Secundum Bentl. Fl. et Umpfenb.: *forti's.* Falso! aut enim *fortis* respondet antecedenti *miser* verbo ita ut, postquam alter dixit se consilium quaerere, alter corrigat dictum suum pronuntians: *fortis videris,* aut si haec explicatio minus est probabilis, tamen *fortis* omisso verbo etiam apud Terentium recte se habet sicut tot exempla Plautina talium breviter dictorum. Maxime autem conferendus est versus

Adel. v. 742 *Illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas.*

De: *Corrector: nempe tua arte viginti minae — perire,* ubi nemo potest *es* inserere.

Sicut igitur actum est de *homini's* et *forti's*, sic etiam *tristi's* fieri non potest ut admittatur

Eun. v. 273 *Quidúm? quia trístis es. Nihil quidem. Ne sis, sed quid videtur?* sic Umpfenb. retinuit; Bentl. autem comparans *forti's*, quod vero est *fortis*, scribit *tristi's;* hunc sequitur Fleck. Cf. exempla Plautina *quia vanilocus vapulabis*, alia.

Unum restat exemplum quod ideo praeterire silentio nolumus, quod Fleck. hic quoque *us* scripsit.

Eun. v. 496 *Quid tíbi ego múlta dícam? dómini símilis és*

sic omnes libri; contra quos Bentl. *simia's* coniectura non ita certa; Fleckeiseni autem scriptura: *simiu's* tolerari nequit. Quid igitur discimus? Statuendum est ne apud Terentium quidem *u's* et *i's* synaloephae ullum locum fuisse. Item ex omnibus fragmentis comoediae, tragoediae illae *-u's* terminationes radicitus exstirpandae et evellendae sunt, quas hic quoque viri docti sine necessitate induxerunt. Restant ii versus Plauti, quibus *es* ita traditur, ut cum vocali aliquo finali coalescat, cuius generis exempla nonnulla iam attulimus p. 44 et aliis locis disiecta. Hi loci ad nostram de *-u's* synaloepha quaestionem etiam certius diiudicandam nihil tribuunt, sed affero eos, ne quis frustra apud me quaerat. Plautus his locis posuit *es*, ut hiatum evitaret vel ut longam syllabam efficeret vel ut sententia esset perspicua vel quia ei libuit.

Atque primum quidem saepius *es* se applicat ad *-o* vocalem finalem et haud raro ad *homo* verbum: *quis tu homo es* Curc. v. 412; Mil. v. 425; Trin. v. 970; Men. v. 816; — *probus homo es* Poen. v. 573; *caedundus*

*tu homo es* Cas III, 1, 14; *Homo ego sum tu homo es* Trin. v. 447. (A: *homo es tu*); Capt. v. 332 Vetus habet:

*Optimum atque aequissimum oras optimusque hominum* | *homo es* ceteri libri: *es homo*, qua lectione hiatus ille quidem vitatur, sed collocatio verborum, quae in B perhibetur, legitima est et in ceteris libris mutationem consilio esse factam verisimile est. Hiatus tolli potest *tu* pronomine inserto, quod invenimus in ceteris exemplis.

‚*Bono animo esse*' iubentur homines apud Plautum et Terentium sic: *liquido es animo* Pseud. v. 232; *animo liquido et tranquillo's* Epid. v. 643; saepius autem: *bono animo es* Aul. v. 787; Mil. v. 1143; Rud. v. 678; Adel v. 284; Adel. v. 696; Eun. v. 84; Haut. v. 822; Phorm. v. 965; *bono animo es* Merc. v. 531; Asin. v. 638; contra: *animo bono es* Aul. v. 732; Pseud. v. 322; Adel. v. 543; Traditum est:

Mil. 1206 *Etiam me quomodo ego vivam sine te* :: *Áge animó bonó*

*es* quia omitti nequit, scribit R. secundum Gruterum: *age es animo bono,* qua collocatione etiam hiatus tollitur. Qui hiatus mutatae personae nihil habet offensionis et collocatio verborum ab usu Plauti prorsus abhorret. Nihil restat quam ut scribamus *Age animo bono es:* et in fine versus *es* facilo omitti potuit, atque Mil. v. 1342 item invenimus: *Age, Palaestrio, bono animo es.*

Cum *a* vocali finali coalescit *es* ita positum, ut hiatus evitetur: Bach. v. 74 *At nimium pretiosa es operaria;* Asin. v. 518 *satis dicacula es amatrix;* v. 674 *satis bella es atque amabilis;* Aul. v. 174 *scio quid dictura es hac;* Truc. v. 528 *id ita esse experta es: experiere em nunc* Adiungamus (atque primum ea exempla quibus longa syllaba efficitur) Cas. v. 107 *satín sana és? Nam;* Merc. 500 *mea es tu;* Most. v. 293 *órnata és satis;* Poen. v. 1183 *Stulta és sorór magis quam volo* (A); Pers. v. 829 *atque tu Persa es, qui;* Amph. v. 427 *si*

*tu Sosia es* Asin. v. 614 *tu mihi vita es* Asin. v. 748 *nam tu poeta es prorsus* Asin. v. 160 *Ego te dehinc ut merita es de me et mea re;* Amph. v. 913 *nimis iracunda es* Epid. v. 553 *commode fabulata es;* Epid. v. 15 *Scurra es* Men. v. 605 *qui tu misera es, mi expedi:* Bach. v. 1173 *Ni abeas, quamquam tu bella es, malum;* Most. v. 182 *ita Philolaches amet ut venusta es:* v. 194 *Stulta es plane;* v. 176 *Nimis tu quidem stulta es mulier;* v. 261 *scita es tu quidem;* Truc. v. 272 *tu eo bella es; quia clepis tibi armillas;* v. 378 *iam lauta es;* Pseud. v. 188 *Tecum ago quae amica es frumentariis;* v. 226 *sed quod pacta es non scis solvere;* v. 262 *eam tu quae solita es conprime;* Rud. v. 104 *Sed utrum tu masne an femina es, qui;* v. 489 *Edepol Libertas lepida es quae nunquam;* v. 681 *Ah desine, nimis inepta es;*

Ad verbum in *e* vocalem terminans *es* se applicat: Truc. v. 516 *quómque es áucta liberis;* Rud. v. 1099 *út tute és item omnis censes esse;* Most. v. 168 *quom lepida tute es;* Trin. v. 878 *quis es? aut unde es,* v. 973 *nequiquam hercle es;* Rud. v. 525 *Edepol Neptune es balineator frigidus;* Cas. II, 5, 19 *si quidem tu frugi bonae es;*

Post *tu* pronomen *es* invenitur et saepe additum ad hiatum evitandum Most. v. 1021 *quis tu es homo;* Bach. v. 601 *quis tu es? Illius sum;* Asin. v. 505 *an ita tu es animata;* Cas. v. 802 *ubi tu es hic;* Aul. 268 *ubi tu es, quae;* Rud. v. 465 *ubi tu es delicata,* v. 469 *ubi tu es gentium;* Poen. v. 285 *tu es lapide silice stultior* Epid. v. 13 *ut tu es tristis amabo;* Epid. v. 168 *is adeo tu es* v. 711 *quom tu es liber gaudeo;* Capt. v. 239 *tu es pater proxumus* Pseud. v. 978 *tune es, Ballio;* v. 1010 *Tune es, Harpax* Capt. v. 1021 *pater meus tune es* Bach. v. 566 *sanune es?* quae interrogatio etiam saepius occurrit, et Curc. 654 *sanane es?* Cas. v. 506 *missúrun és ad me uxorem tuam* Poen. v. 424 *abiturun es?*

Post. *i* vocalem positum *es* invenimus Most. v. 1142 *nímis qui es órator catus* Epid. v. 493 *Frúgi es pugnasti bene*, v. 693; Pers. v. 192 *Scélus tu púeri es atque;* Stich. v. 1 *soror tametsi es maior;*

Addendi sunt hi versus: Bach. v. 1169 *Non homo tu quidem es, qui istoc pacto;* Cas. v. 215 *quasi venator tu quidem es;* Most. v. 208 *inscita ecastor tu quidem es;* Merc. v. 842 *quae spectatrix atque spectatrix atque era eadem es hominibus;* Asin. v. 710 *quamquam nequam es.*

Post consonantes invenitur *es:* Bach. v. 123 *I stultior es barbaro Poticio;* Epid. v. 371 *Vorsutior es quam rota figularis;* Asin. v. 867 *miser ecastor es;* Truc. v. 373 *em istoc pauper es;* Curc. v. 9 *tute tibi puer es;* Poen. v. 776 *manufesto fur es;* Truc v. 756 *mendax es, abi;* Rud. v. 364 *ut dulcis es, ut mulsa;* Epid. v. 556 *Tun is es, qui;* v. 641; Curc. 419; Pseud. v. 1143; Trin. v. 986 *quaeso an tu is es;* Capt. v. 584 *quin tute is es* Pers. v. 561 *Tu in illis es decem sodalibus* Rud. v. 1116 *neque loquens es neque tacens umquam bonus* Amph. v. 343 *numquid nunc es certior.* Et fortasse pauca exempla oculos meos subterfugerunt, qua re nihil detrimenti capiet disputatio mea. His autem allatis locis *es* ita traditur, ut aut versui aut sententiae necessarium sit aut certe versui non repugnet. Atque unum mihi admonere liceat. Me *-us* et *is* terminationes liberasse illo circulo confido, sed ut etiam ex eis, quae in prooemio meo disserui de syllaba *es* plenis litteris scripta, apparet nullam causam esse post vocalem finalem pro *es* scribendi *'s*, sic nunc iterum contendere debeo editores contra morem atque consuetudinem veterum scriptorum — quatenus illa quidem ex inscriptionibus et libris manuscriptis cognosci possint — scribere velut *a's e's* Atque etiam Wilamowitzium memini in semina nostro quondam dicere sibi id scribendi genus. Rectissi-

mum erit es sic plena forma ubique sribere, quo luculentius fit etiam primum intuentibus fieri non posse, ut haec syllaba omnino intereat coalita cum *us* terminatione.

Iam agemus de

**prima pluralis persona**

omissa. Atque de Trin. v. 491 *verum nos homunculi sitellum animae* iam egimus p. 6. Addimus

Rud. v. 370 *Itaque nos ventisque fluctibusque*
*Iactatae exemplis plurumis miserae perpetuam noctem.*
*Vix hodie ad litus pertulit nos ventis exanimatas.*

Hic propter *sumus* verbum omissum statuisse videtur Fleckeis. lacunam: equidem exputare non possum, quid nexus sententiarum etiam ad perspicuitatem postulet. Perpetuam noctem miserrime fluctibus iactatae sunt, die insequenti ventus eas ad litus appulit. Quid desideres? Deinde v. 374 *Neptunus iactat omnis si quae improbae sunt merces* non etiam longius a *iactatae* diiungi potest; *sumus* autem hic facile deesse potest propter antecedens pronomen et conferatur velim Andr. v. 285 ‚*vos semotae, nos soli*'. Durior omissio occurrit, ut iam vidimus p. 37

Rud. v. 690 *signum in fano hoc intus Veneris, quod amplexae modo unde abreptae per vim miserae*

et p. 17 v. 453 *Iam plus mali illud nobis vivit, quam ratae.*

p. 40 Curc. v. 353 *Omnis res paratast et nos quibus paratum adsumus.*

*Postquam cenati atque adpoti. talos poscit sibi in manum*

quae exempla nemo mutavit [1]). Neque minus saltem facile omittitur

---

1) Notissima sunt exempla quale est Aen. XI, 248 *postquam introgressi et coram data copia fandi, munera praeferimus;* et similia.

**prima singularis persona.**

Quam facile *sum* verbo careamus, si *ego* antecedit, iam docuimus p. 9 cum aliis tum his exemplis: Merc. v. 919 *ego stultior qui isti credam* et Men. v. 605 *Ne ego ecastor mulier misera,* Itaque minime desideramus ‚*sum*'

Mil. v. 370 *ego stulta et mora multum, Quae cum hoc insano fabuler,* praesertim cum inveniamus

Mil. v. 443 *Immo ecastor stulta multum, quae vobiscum fabuler*

verum v. 370 A quidem et Ba praebent *mora,* R. autem cum CD scripsit *moror,* quia ei displicebat subfrigida coniunctio verborum idem significantium, sed propter v. 443 simillimum *multum* etiam hic ad *stulta* pertineat necesse esse retineaturque *mora* videtur; etiam aliud Ritschelii propositum: *Pol ego sum mora multum* reiciam statim propter *fabuler* coniunctivum. Supra enim iam ausus sum afferre, quia *sum* recte deesse quam maxime persuasum habeo, Men. v. 433, qui sic traditur a libris:

*sed ego inscitus quid* (*quod* B) *rome postulem moderarier*

Atque R. existimavit hic latere *ero me* et reddidit id versui. Quo remedio quia versus nondum sanatur, idem addidit *sum,* Fl. autem mutavit in *inscitior,* quo comparativo minime opus est. Et ei coniecturae, qua cogimur alium locum alioquin persanum mutare, est diffidendum, quamvis sit speciosa. Sicut illi viri docti ex *r* littera servata concludunt de *ero,* sic Both. ex *d* de *domino.* Quae coniectura est multo probabilior quia cum loco depravato restituit simul totum versum. Atque *erum servi* etiam *dominum* appellari Vahlen. exemplis ad hunc locum collatis docuit, qui idem in textum recepit sic versum

*sed ego inscitus, qui domino me postulem moderarier.*

Anapaestus *domino* non elegans ille quidem est, sed

tolerari potest, quoad melius remedium inveniatur, dummodo ne *sum* inseratur quod verbum deesse debere mihi, nisi omnia me fallunt, documento est coniunctivus *postulem:* nam si *sum* antecedit, sequitur indicativus ut Men. v. 892 *Sed ego stultus sum qui illius esse dico.* Pers. v. 75 *Sed sumne ego stultus, qui rem curo publicam* Pers. v. 474 *Sumne probus sum lepidus civis qui — feci* Rud. v. 1184 *Sumne ego stultus qui illunc excepi vidulum,* coniunctivus autem invenitur si *sum* in enuntiato primario deest, velut Mil. v. 443 *Immo ecastor stulta multum, quae fabuler,* de quo supra. Cic. ad Att. IV, 15, 6 *ego ineptus, qui scripserim.* Hor. Sat. II, 3, 236 *segnis ego indignus, qui tantum possideam.* Itaque hac quoque causa prohibemur, quominus *sum* illi versus obtrudamus. *sum* omissum est, si quid video, etiam

Rud. v. 520 *Eheu, quis vivit me mortalis miserior?*
*Ego multo tanto miserior, quam tu, Labrax,*
*Qui? Quia ego indignus sum, tu dignus, qui sies*

quorum in altero versu *sum* esse supplendum non *vivo,* apparet ex verbis ‚*qui sies*'.

Etiam in perfectis passivi et deponentis saepiuscule ‚*sum*' omittitur

Amph. v. 957 *an id ioco dixisti? equidem serio ac vero ratus.* quod exemplum quoniam intactum est (v. p. 18), nimine *sum* desiderandum est:

Asin. v. 856 *et scelesta ego praeter alios meum virum frugi rata,*
*Siccum, frugi, continentem, amantem uxoris maxume,*

Qui locus nos offendit, quia bis *frugi* positum est alteroutro loco falso insertum, sed utro? Omnes viri docti consentiunt priore loco *frugi* delendum esse, quia altero loco optime *nihili* verbo opponitur et quia Nonius quoque ibi habet. Et nisi ex v. 861 *Ego quoque hercle illum antehac hominem semper sum frugi ratus* concludendum est, *frugi* etiam v. 856 positum esse a poeta, habemus fontem ex quo mendum fluxit. Ussing. pro-

posuit *egregium*, LG. audacius scripserunt *rata sum probum*, Luchs. *antehac* inseruit. Utut est versus sanandus, utique *sum* nunquam fuit hoc loco, nam quomodo id expulsum censemus?

Sicut apud Horatium legimus Sat. I, 6, 53 *Felicem dicere non hoc me possim, quod te sortitus amicum*, sic apud Plautum quoque in relativo enuntiato *sum* deest, Asin. v. 271 de quo nemo dubitat (v. p. 17): *hanc quidem, quam nactus praedam, pariter cum illis partiam.* Sed dubitatur de

Most. v. 85 *Recordatus multum et diu cogitavi,*

ubi R. inseruit *sum* ante *et*, sed id verbum deesse debere docet Muell. Pros. p. 170 neque vero cum Bergkio Ind. Hal. 1862|63 *recordatus* pro participio habendum est, nam talis constructio a simplicitate sermonis Plautini abhorret. Hic autem omissio verbi substantivi durior esse videtur, quod modus finitivus *et* particula coniungitur cum *recordatus* perfecto, et exspectamus hic *sum* desiderandum non esse. Quae opinio nos fallit, nam ut hic conferam modo eos locos quibus *sum* ita omittitur, videas velim Stich. v. 73 *neque equidem id factura neque dabo.* Et huc referendus est [1]) locus Ciceronis ad fam. IX, 11, 2 *nam et celeriter una futuros nos arbitror et nondum satis confirmatus ad scribendum*, qui locus illi Most. versui est simillimus. Wesenberg. autem *sum* post *nondum* inseruit: sed praeterquam quod *sum* post *ego* a Cicerone omittitur (cf. p. 9) legimus ad Att. XV, 26, 5 *‚mundus iste cum M. Ennio quid egerit de testamento — curiosus enim — facias me velim certiorem'*, ubi item frustra ab editoribus additur *sum* post *enim.* Nam de verbo substantivo hic recte omisso eo minus dubitandum est, quod in prorsus similibus enuntiatis *est* omittitur: ad Att. XIII, 40, 2 *magna enim res et multae cautionis;* XIII, 48, 1 *Lepta*

1) Prop. V, 2, 3 *Tuscus ego et Tuscis orior nec paenitet* Aen. I, 201 *vos accestis scopulos vos et Cyclopea saxa Experti*

*rogat ut accurram, mortuus enim Babullius;* IV, 86, 3 *homo peramans semper nostri fuit —, satis enim acutus et permodestus ac bonae frugi,* quibus locis falso additur *est,* neque magis recte additur ad fam. VIII, 4, 5 *praeterea nuntiatum nobis et pro certo habetur,* quamquam *hic* quoque *et* particula duo verba coniunguntur. Qua de re etiam hic conferas ad Att. VIII, 2, 4 *ego si de pace agetur, profecturus, si de bello, videro* (cf. p. 26); neque ullam ansam dubitationis praebet

Men. v. 19 *Nimium ego te habui delicatam, nunc adeo ut factúrus dicam,* qui est octonarius trochaicus incorruptus neque, quia proceleusmaticum in initio versus non perhorrescimus, (cf. R. Prol. CCXCII) *ego* delemus, quod retinemus etiam Pseud. v. 136 *Neque ego homines magis* — cf. Rud. v. 221 *Ita male vivo atque ita* — Atque quoniam iam p. 23 vidimus, quam facile apud *facturus* futurum verbum substantivum omittatur, secuti sumus Ambrosiani auctoritatem

Stich. v. 73 *Neque equidem id factura neque tu ut facias consilium dabo.*

ubi BC habent: *Neque ego factura sum;* R. autem scribit: *Neque ego id sum factura;* haud opus. Si legimus: —

Cas. II, 7, 4 — *me suspendam.* || *Quid opus est, qui sic mórtuós? equidém tamen*

*Sorti sum victus* — non assentior Muellero Pros. p. 53 existimanti ‚*sum*' verbum excidisse, nam ipse dixit p. 292 in enuntiatis relativis apud Plautum saepe verbum substantivum deesse, si quae persona significetur apertum sit ex antecedentibus vel sequentibus verbis. Hic id apertum est neque numeri officiunt. Et quoniam probatur Asin. v. 271 *quam nactus* (sc. *sum*), Ribbeckius recte in textum recepit

Ennius v. 128 *Vidi videre quod me passa aegerrume;* Vahlen. *sum passa.*

Cas. II, 6, 64 autem, quoniam *iamne mortuos?* verba

ad quamnam personam referenda sit, non apertum est, recte mutatur in *sumne* ut Pers. v. 474 *sumne probus* Cas. II, 4, 24 *sumne ego miser homo,* cf. Muell. p. 53 [1]). Minime *sum* desideratur

Epid. v. 650 *Quid ego modo huic frater factus dum introeo atque exeo,*

nam *ego* antecedit et apud *factus* perfectum etiam *es* omitti vidimus p. 27. Sed versus quidem est vehementer corruptus neque unquam certo emendabitur. Nam Goetzii opera versus plenus quidem factus est non item is quem Plautus scripsit. Cf. Muell. Pros. p. 484.

Et Merc. v. 840 *Apparatus sum, ut videtis; abicio superbiam,*

*Egomet mihi comes calator equos agaso,* | *armiger*
*Egomet sum mihi imperator, idem egomet mihi obedio*

R. ut hiatum tolleret, inseruit *sum;* hoc autem verbum esset supervacaneum, etiamsi *sum* neque antecederet neque sequeretur, nam ‚*egomet*' adest. Illo praesertim loco *sum* prorsus languet; et Mueller. p. 681: ‚*calator ego equiso, ego agaso*'.

Bach. v. 946 *Miles Menelaust, ego Agamemno, idem Ulixes Lartius*

*sum* non opus esse etiam R. concessit Op. II, 498 qui in editione secutus erat Hermannum ‚*idem sum*' scribentem; frustra hiatum tollere conatus est Muell. Pros. p. 698

---

1) Traditur Men. v. 685 *Et quid tristis et quid hic mihi dixerit, faxo scias* qui versus, quomodo intellegendus sit, nemo potest dubitare, qui paulo ante audivit Menaechmum ex uxore quaerentem, *quid tu mihi tristis es* et ex Peniculo ‚*quid dixisti?*' sc. *uxori.* Deinde ex ‚*faxo scias*' apparet *sim* verbum supplendum esse ad *tristis.* cf. Men. v. 199 *ut facturus dicam.* Etiam *sis* ita omittitur Amph. 342 *Possum scire quo profectus, quoius sis aut quid veneris* et Poen. 982 *Quid venerit qui sit, quoiatis, unde sit* Aen. I, 517 *quae fortuna viris, classem quo litore linquant quid veniant* Prop. I, 22, 1 *Qualis et unde genus qui sint mihi, Tulle, penates.* Quomodo in interrogatione directa ita verbum substantivum omittatur, vide p. 19. —

Nunc adscribere mihi liceat nonnulla exempla de quibus minime dubitatur, quia *sum* sine damno versus inseri non potest, sed quae nos docent in prorsus similibus versibus neque aut *est* aut *es* desiderandum esse: Rud. v. 740 *Non tu Cyrenensis es?* :: *Immo Athenis natus altusque educatusque Atticis* Capt. v. 857 *Tum tu mi igitur erus es?* :: *Immo benevolens* Pers. v. 378 *Futura's dicto oboediens an non patri?* :: *Futura* Eun. v. 462 *Ituran Thais quopiam es? Th. Ehem Parmeno, Bene fecisti: hodie itura: Pa: Quo?* et similis locus est ad Att. VII, 6, 2 *dices, quid tu igitur sensurus es? non idem quod dicturus.*

Denique silentio haud praeterierim hos versus Terentianos:

Phorm. v. 48 *Tu, tibi nomen dic quid est? Ph. Mihin? Phormio*

*Vestrae familiae hercle amicus et tuo summus Phaedriae,* ubi *Phormio* est *mihi nomen Phormio est;* sed simul sentitur ‹*Phormio sum*›, ita ut appositio sequi possit. Itaque verbum substantivum in toto nexu sententiarum auditur atque sentitur et difficile immo vero falsum est dicere verbum hic vel illic omissum esse. Hic quoque magis Latine sentire quam ratione nostrae linguae cogitare debemus. Neque aliter res se habet Eun. v. 1063 *Quor ergo in his te conspicor regionibus?* Th.: *Vobis fretus.* Ph.: *Scire quam fretus?* ubi nos haesitamus, utrum ad verba ‹*vobis fretus*› *conspicior a te* cogitatione supplere debeamus an *sum*, pro quo sequentia verba pugnant.

Iam accedamus ad omissam

**secundam pluralis personam**

de qua nonnulla exempla iam supra disiecta attulimus, ut Asin. v. 134 *Mare haud est mare: vos mare acerrimum;* Andr. v. 285 *Accessi: vos semotae: nos soli;* (p. 6) Haut. v. 119 *ambo accusandi: etsi illud inceptum tamen Animist prudentis signum* Asin. 648 *Cupio hercle,*

*sequere hac: ecquid est salutis? satis locuti;* (p. 30) In enuntiato subordinato deest ‹*estis*› Stich. v. 649 *Salvete Athenae quae nutrices Graeciae* Naev. frg. 37 *Dic, quo pacto eum potiti? pugnan an dolis*[1])

Sed hoc loco paulo fusius disserendum ac decernendum est de

Aul. v. 354 *Ceserin, Strobile, has facturi nuptias?*

qui versus obscurus et corruptus videbatur esse viris doctis. Attamen ad quam personam verbum referendum sit, ex appellatione *Strobile* non minus perspicuum est, quam Naev. frg. 37 apparet ex *dic* imperativo secundam personam ad *potiti* perfectum esse cogitatione supplendam. Muellerum autem nihil nisi hiatus adduxisse videtur in eam sententiam, ut diceret (Pros. p. 482) verbum finitum nulla condicione omitti posse. Satis perspicuum versum esse iam diximus, deinde apud *facturus* verbum non modo invenimus *sum* deesse Stich. v. 73 et Men. v. 119; sed persaepe etiam singularis secunda persona omittitur (p. 23). Et codices Plautini versum praebent qualem ego adscripsi, quibuscum consentit Festus (et Servius), Macrobius autem solus (qui ex eodem fonte quo Festus hausit) legit: *hi sunt facturi,* quam lectionem Goetz. in textum recepit iniuria, nam apud Macrobium habemus mutationem consilio factam quam contra Festum et libros mss. recipere non est sanae rationis. Cadunt etiam Muelleri conamina ad irritum proponentis (Pros. p. 482) ‹*haec*› *vel* ‹*hic sunt futurae*›. Hiatus autem, quo inducti sunt viri docti, nihil habet offensionis in caesura et post appellationem. Hic igitur Aululariae versus nobis rectissime a libris mss. traditus est.

Et Most. v. 604 *Daturin estis faenus actutum mihi?*

---

1) Leo attulit l. s. s. p. 190: Verg. ecl. 5, 21 *vos coryli testes et flumina nymphis* Ovid. her. 10, 113 *Vos quoque crudeles venti nimiumque parati* Aen. 5, 192 *promite nunc animos, quibus in Gaetulis Syrtibus usi Ionioque mari* Ovid. fast. 5, 465 *si vos modo vera locuti.* Addi potest Prop. IV, 1, 5 *quove pede ingressi? quamve bibistis aquam?*

*Daturin faenus mihi*

sic praebet A; BC autem habent: *Date mihi fenus* Si *mihi* pronomen, quod falso repetitum est, omittimus, talis sanus versus exstat in A: *Daturin faenus?* :: *Faenus illic, faenus hic,* ut nesciam, cur. R. hoc loco A codicem sequi noluerit; scripsit autem ‚*daturne faenus?*' Verum quod in altero versu *daturi* verbum sine *estis* legitur id eum movere (si quidem movit) non debuit. Itaque in Ambrosiani scriptura acquiescendum esse censeo et est interrogatio repetita loco huic aptissima.

Nunc adiungamus

**tertiam pluralis personam.**

Atque Ritschelius ipse concessit apud *futura* et *facta* deesse posse *sunt* velut Amph. v. 1149 *Quae futura et quae facta eloquar;* v. 469 *igitur demum omnes scient quae facta;* v. 571 *Optas quae facta;* cf. v. 772; Bach. v. 510 *qui — haec hic quae futura fabulor* Aul. v. 432 *Volo scire ego itidem meae domi mean salva futura,*

Neque vero minus saepe *sunt* verbum positum est, ut Amph. v. 559 *Tamen quin loquar haec uti facta sunt;* v. 460 *haec uti sunt facta ero dicam;* v. 884 *Ea quae sunt facta infecta re esse occlamitat;* v. 885 *quae neque sunt facta — arguit;* atque etsi hic vel illic poeta *sunt* posuit non sine vi quadam *(quae sunt facta — was nun doch einmal wirklich geschehen ist),* tamen in universum statuendum erit eum, quoniam linguae utrumque aptum esset, illum dummodo facile elegantem versum conderet atque sententiam bene formatam atque perspicuam pronuntiaret, modo posuisse modo omisisse verbum substantivum. Sicut autem hic minime omnia exempla in unam formam redigi possunt, idem cavendum erit in tertia singularis persona, etiamsi ibi nullum fere negotium est mutandi.

Ex eis exemplis, quibus discimus *sunt* etiam apud alia perfecta passivi et deponentis omissum esse, iam

nonnulla exscripsimus p. 27: Bach. v. 937 *Epiust Pistoclerus: ab eo haec sumpta;* Amph. v. 217 *Postquam utrimque exitumst maxuma copia, Dispertiti viri, dispertiti ordines;* Trin. v. 426 *Mille drachumarum tarpezitae Olympico, Quas de ratione dehibuisti, redditae;* Stich. 210 *Ita me mancupia miserum adfecerunt male, Potationes plurumae demortuae;*

In enuntiatis relativis deest *sunt:* Amph. v. 1108 *ubi utero exorti dolores ut solent puerperae, Invocat deos;* v. 1127 *Postquam puerum conspicati pergunt;* Trin. v. 1049 *illis quoque abrogant etiam fidem, Qui nil meriti: quippe probant,* Quae cum ita sint, quid mirum, si *sunt* deest

Poen. v. 219 *Binae singulis quae datae nobis ancillae, eae nos lavando eluendo operam dederunt.* Ritschelii propositum inserentis *sunt* et addentis *comundo* non ita est probabile. Mihi adhuc maxime adridet quod Herm. Elem. p. 295 scripsit *dedere,* eoque continuos versus bacchiacos reconcinnavit. Huc pertinet etiam Trin. v. 393 *Verum meliora sunt quam quae deterruma* Facile etiam in exclamatione deest *sunt*

Stich. v. 212 *Quot adeo cenae, quas deflevi, mortuae,*
*Quot potiones mulsi, quot item prandia,*
*Quae inter continuum perdidi triennium*

Truc. v. 28 *Quot illic blanditiae quot illic iracundiae*
*Superbiae lamenta* — sic Schoell. libri autem: *sunt quot perclamenda,* a qua lectione Schoellii coniectura nimis recedit. Deinde commemorandi sunt:

Rud. v. 207 *Hoc quod induta sum summae opes oppido*

Poen. IV, 2, 13 *Omnia genera recipiuntur, itaque in totis aedibus*
*Tenebrae latebrae: bibitur estur,*

ubi omissio, quamvis dura sit, tamen est vacua dubilatione.

Neque apud Terentium desunt exempla verbi *sunt*

omissi Adel. v. 46 *nati filii duo* cf. Ad. 867 Andr. v. 891 *Domus uxor liberi inventi invito patre* Adel. v. 230 *emptae mulieres complures et item hinc alia quae* — 792 *paratae lites: succurrendumst;* Phorm. 133 et 331 *Nostram omnium vitam in quo nostrae spes opesque omnes sitae?* p. 27.

Deinde magna copia exemplorum invenitur in Ciceronis epistulis, quorum nonnulla hic adscribo ideo quod pugnant contra viros doctos, qui *est* singularem saepe falso inseruerunt iis locis, quibus *sunt* deesse pati debent. Atque primum quidem ea omissionis exempla, quibus pronomen invenitur subiectum, iam exspectamus, velut ad fam. III, 10, 9 *atque haec domestica;* ad Att. XII, 2, 2 *sed haec tolerabilia;* —, 9 *sed neque haec digna longioribus litteris;* — VI, 2, 5 *grata haec et magna mihique nondum laboriosa:* — XI, 20, 3 *utra ergo castra? media enim tollit Antonius, illa infirma, haec nefaria;* — I, 20, 5 *cupit triumphare: hoc vellem mediocrius; cetera egregia;* — X, 18, 2 *ita omnia tarda adhuc et spissa* — IX, 12, 1 *omnia cum honesta tum cauta.*

Addantur exempla quibus substantivum praebetur subiectum, quae a prioribus vix distant: ad Att. I, 1 *competitores, qui certi esse videantur, Galba et Antonius;* IV, 8, 3 *candidati omnes rei ambitus; accedit etiam Gabinius;* VII, 21, 3 *ipse me Caesar ad pacem hortatur, sed antiquiores litterae, quam ruere coepit;* X, 10, 4 *de Massiliensibus gratae tuae mihi litterae;* XIV, 5, 1 *signa bella, quod Calvena moleste fert, illa signa non bona —;* XV, 25 *de meo itinere variae sententiae.*

Saepe etiam apud perfecta omittitur *sunt*: ad Att. IV, 17, 3 *res cedit, comitia dilata ex SCto;* XII, 14 *De Bruti litteris scripsi ad te: prudenter scriptae, sed nihil, sed nihil quod me adiuvaret* XIII, 52, 2 *praeterea tribus triclinis accepti* οἱ περὶ αὐτὸν *copiose, lautiores eleganter accepti* V, 3, 2 *quarum alterae edictum P. Licinii habebant, alterae rescriptae ad meas Mintur-*

*nensis*, ubi deest *erant* quamquam modus finitivus antecedit.

Deinde participium futuri passivi (cf. p. 51) invenitur sine *sunt* ad Att. VII, 3, 12 *reliqua, quae nosti, ferenda;* XII, 11 *omnia humana tolerabilia ducenda;* VII, 3, 5 *exitus in alteram partem magis timendi:*

Et in exclamatione a Cicerone omittitur *sunt:* ad Att. IX, 12, 1 *at quam expedita tua consilia;* XIV, 9, 1 *quam mihi ista pro nihili;* Sicut ad Att. I, 21, 1 legimus: *σκήψεις atque ἀναβολαί*, sic inveniuntur apud Plautum Bach. v. 939 *Tace modo, aliquis respicit deus:* :: *Nugae* Trin. v. 760 *Gerrae, ne tu inveneris: Gerrae* etiam Caec. frg. 191; Andr. v. 224 *fabulae.*

Et in subordinatis quoque enuntiatis *sunt* deesse potest apud Ciceronem: ad Att. XII, 3, 5 *ne armis decernatur, quorum exitus semper incerti, nunc magis timendi;* cf. 1, 17, 7; — XIV, 20, 2 *primum quae de re mea gesta et in solutione;* — 5, 2 *sed vides magistratus si quidem illi magistratus;* — XVI, 12 *etsi varii rumores multique, quod:*

Quae cum ita sint persuasum habeo editores *sunt* iniuria addidisse ad Att. XVI, 8, 1 ubi haec tradita sunt verba: *veteranos, qui Casilini et Calatiae, produxit ad senatus sententiam* —. Non enim solum ubi praedicatum est adiectivum vel participium, sed ubi est adverbium vel praepositio cum casu omissum *sunt* invenimus, velut Poen. IV, 2, 13 *in totis aedibus tenebrae* et ad Att. VII, 24, 1 *Amoris quidem tui quoquo me verti vestigia,* XII, 5, 4 *ergo ei in integro omnia,* XII, 2, 2 *ludi interea Praeneste; ibi Hirtius et isti omnes.* Atque sicut vidimus *quam mihi ista pro nihilo* sic XV, 3, 1 *in magnis versamur angustiis: etsi ista parvi; quin et maiora contemninus.* Deniqui si conferas hos, qui maxime huc pertinent, locos: ad Att. II, 12, 2 *ille iter Lavinum; ibi enim cohortes et Luceriae et Teani reliquaque in Apulia* et ad fam. III, 7, 1 *Romae et maxime Appia*

*ad Martis mira proluvies* noli dubitare, quin Cicero scripserit *qui Casilini et Calatiae* omisso *sunt* verbo.

Hic etiam commemorare mihi liceat Hor. Sat. II, 3, 32 *inanis et tu stultique prope omnes* II, 1, 67 *num Laelius aut qui — Ingenio offensi aut laeso doluere Metello?* 1, 9, 69 *hodie tricesima sabbata;* I, 10, 31 *Quirinus Post mediam noctem visus, cum somnia vera.* Petron. p. 36, 27 *bene nos habemus, at isti nugae, qui tibi non imperant,* aliis locis: 35, 6, 23, 32. Senec. apocoloc. § 1 *haec ita vera* [1])

Nunc transeamus ad aliud genus exemplorum et incipiamus a versu, qui est magni momenti:

Asin. v. 196 *Ubi illaec, quae dedi ante?* :: *Abusa nam si ea durarent mihi*

hic neque in interrogatione neque in responso positum est verbum substantivum. Videmus igitur ex hoc exemplo luculentissime, quam non necesse sit *est* inseratur in responsis iis locis, quibus in interrogatione antecedit, velut Pers. v. 644 *Captusnest pater? Non captus; sed quod habuit perdidit* R. *captust*

Post *ubi* omittitur *sunt* etiam

Men v. 278 *Non hercle vero:* :: *Ubi convivae ceteri?*

ubi hiatus personae mutatae aliquantum impulit ad mutandum. Et R. et Mueller. desiderabant *sunt* scripseruntque ‚*ubi sunt*'. Posteriore autem tempore R. scripsit *verod:* utrumque inutiliter; non enim hiatus offendit, sermo est integer, quod apparet ex illo Asin. versu et ex

Eun. IV, 7, 10: *Ubi alii? Qui malum alii? solus Sannio servat domi* [2])

---

1) Verg. Aen. X, 286 *ultro occurramus ad undam, Dum trepidi egressisque labant vestigia prima;* Georg III, 165 *Dum faciles animi iuvenum, dum mobilis aetas;* Ovid. Med. II, 750 *nullae in fronte minae, pacem vultus habet;* Prop. V, 1, 135 *at tu finge elegos, fallax opus; haec tua castra;* IV, 5, 2 *sat mihi cum domina proelia dura mea.*

2) Prop. IV, 11, 67 *Nunc ubi Scipiadae classes, ubi signa Camilli Aut modo Pompeia Bospore capta manu?*

Quamquam non modo non desunt, sed etiam saepius inveniuntur exempla *sunt* verbi positi, ut Curc. v. 307 *ubi sunt spes meae;* Rud. v. 1161 *ubi loci sunt spes meae,* Amph. 287 *ubi sunt isti scortatores, qui soli inviti cubant* Poen. 1119, 1232; Capt. 253. Itaque hic quoque videmus utrumque Plauto licuisse et libuisse; minime autem omnia in unam formam redigenda sunt quod facere voluerunt viri docti in tertia singularis persona.

Apud Terentium deinde inveniuntur: Andr. v. 477 *Num immemores discipuli?* Adel. v. 678 *sed quid ista nostra?* Phorm. v. 256 *Satin omnia ex sententia?* et ut Trin. v. 1177 *Satine salvae? dic mihi;* et Stich. v. 8 *salvaene amabo?* sic Eun. v. 978 *Satine salvae? dic mihi.*

Denique Phorm. v. 454 *Quot homines, tot sententiae: suus cuique mos.*

nemo desiderat *sunt* et optime se habet, quod sermonem attinet

Truc. 885 — *ubi amici, ibidem opes,* sed versus hiatu laborat, quem viri docti cum dictionis detrimento expellere conati sunt. Prorsus languet Schoellii mutatio: *ubi amici ibi demum esse opes.* Si quidem sine *sunt* verbo versus restitui nequit, tum acquiesco in Camerarii proposito: *ibidem sunt opes:*

*Vérumst vérbum quód memorátur: úbi amici íbidem súnt opes.*

Si nunc accedimus ad

**tertiam singularis personam**

vereor, ne quis opinetur nostram disputationem nihil certi adlaturam esse ad usum sermonis familiaris eruendum, quia in libris nulla sit posita fides *est* verbo incuria librariorum sexcenties omisso. Sed eodem iure statuere possumus librarios ignaros usus Plautini et nescientes, quatenus pertineret in sermone familiari omissio verbi substantivi, addidisse *est.* Libri sunt et esse

debent fundamentum, quo nitamur, quibus si desinimus iustam fidem habere, omnis fluctuat quaestio. Deinde potuitne tam saepe *est* forma facillime neglegi et omitti, si plenis litteris erat scripta? Et plerumque plenam formam scriptam fuisse videbit quisquis inspexerit apparatum criticum et inscriptiones. Tum alius sicut in secunda singularis persona remanet scrupulus et is minime neglegendus. Ii qui sibi persuaserunt deesse verbum, ibi statuunt excidisse, ubi versus additum facillime tolerat. Sed in hac quoque persona videbimus in eo errare viros doctos. Quae cum ita sint a libris mss. proficiscemur et quaeremus, num tolerari possit omissio verbi substantivi secundum usum Plautinum vel secundum consuetudinem sermonis familiaris. Et si eadem condicione aliae personae verbi substantivi desunt, quae neque tam facile omitti possunt neque ab editoribus inducuntur, quia versus eas non admittit, Plauto invito non donabimus *est* formam. Nemo enim contendere audebit omissionem *est* formae duriorem esse quam si *sunt* omittatur, vel adeo *sumus sum estis* formas facilius deesse posse quam *est*. Si praeterea videbimus Terentium, Ciceronem alios scriptores, quorum poesis vel scripta eiusdem generis sunt sermonis, similibus locis omittere *est*, unde tum ius sumemus Plauto soli id denegandi?

Atque hic iterum monere nobis liceat neque Plautum neque linguam Latinam in hac re sibi constitisse, et quis unquam scriptor libertatem dicendi ipse tam angustis circumscripsit finibus? Persaepe Plautus adductus esse videtur, ut omitteret vel poneret verbum, studio versus quam elegantissime condendi, ita ut verborum accentus cum versu concinerent. Et ut id primum exemplis demonstremus, *ita* et *itast* fere pari numero occurrunt et quomodo Langenus has duas formulas distinxerit, notum est. Nobis hic commemorandum est, si dictum ab altero confirmetur, *est* et poni posse et

omitti. Deinde invenitur *itane* et *itanest?* Et *Quid hoc?* Pseud. v. 1246; *quid istuc?* Bach. v. 583; *quid hoc est?* Pseud. v. 246; *quid id est* Men. v. 630; alia.

Iam R. concessit Plautum scripsisse *est* omisso: *mirum ni, mirum quin* velut Most. v. 493 *Mirum quin vigilanti diceret;* Pers. 433; Aul. 85; Amph. v. 315 *Mirum ni hic me — exossare cogitat;* v. 947 *Mirum, quid solus secum secreto ille agat;* Epid. v. 414 *mirum hoc qui potuit fieri.*

Et si invenimus etiam *mirum si* Truc. v. 305 *Nihil mirum — lateres veteres si ruont,* R. non recte mihi mutasse videtur

Mil. v. 1040 *ecastor haut mirum, si habes carum Hominem tam pulcrum,*

ubi R. *mirumst te;* sed *est* supervacaneum est, et si *te* ponimus, aliquantum leporis illius versus sine *te* perspicui perit. Falso addidit R. *est* etiam

Men. v. 335 R. *Minime hercle mirum: morem hunc meretrices habent,* nam hic hiatus in caesura et in pausa neminem offendere debet et cf. Cic. ad fam. XVI, 15, 2 *accepi tuam epistulam vacillantibus litteris, nec mirum tam gravi morbo.*

Neque debebat Fleckeis. *mirumst* scribere

Amph. v. 596 *Nihilo inquam mirum magis tibi istuc quam mihi*

ubi omissio etiam *istuc* pronomine defenditur et cf. ad fam. XVI, 21, 2 *cuius te sollicitudinis et doloris participem fuisse notum exploratumque est mihi nec id mirum.*

Itaque ne Mil. v. 321 quidem cum R. debemus *mirumst* scribere sed

*Mirum lolio victare te tam vili tricito* (BC *miru folio*),

nam quod accusativus cum infinitivo hic sequitur, cf. ad fam. V, 13, 3 *itaque alterum minus mirum fortiorem te esse, cum aliquid speres, alterum mirum spe*

*ulla teneri.* ad Att. XVI, 1, 3 *Dynaeos agro pulsos mare infestum habere nil mirum.*

Cas II, 3, 41 *Mírum ecástor té senécta | áetate officium tuum*

falso Geppert. scribit. *mirum ecastor est senecta aetate te officium tuum;* hiatus enim in diaeresi nihil habet offensionis.

Neque vero desunt loci, quibus Plautus *est* posuit Capt. v. 818 *mirumque adeost ni* Mil. v. 354 *totiens movere mirumst* Bach. v. 178 *Mirumst me ut redeam te opere tanto quaerere* Mil. v. 418 *sed facinus mirumst quo modo potuit,* v. 377 Deinde cf. Capt. v. 188 *non pol mirandumst* et Curc. v. 265 *Nihil est mirandum,*

Saepe invenitur pluralis: Bach. v. 450 *mira sunt ni Pistoclerus — contulit;* Amph. v. 279; Cas. II, 2, 20 *mira sunt vera sí praedicas;* Men. v. 1028 *quid sit mira sunt;* Capt. v. 791 et Poen. IV, 2, 17.

Quod si videmus exempla et positi et omissi verbi inveniri, apparet de exclamatione in iis enuntiatis, quibus *est* deest, minime cum Brixio esse cogitandum. Et exclamationes sunt sermoni familiari non ita aptae. Neque sic intellegenda est omissio in talibus enuntiatis, quibus apud *factum* perfectum omittitur *est.* Potest esse exclamatio velut Pseud. v. 361, Most. v. 499 *factum optume;* Stich. v. 375; Epid. v. 209 *nimis factum bene;* Bach. v. 1099 *bene hercle factum* Most. v. 459 *male hercle factum* neque vero probabile est, si videmus Trin. v. 429 *Factum. Ut quidem illud perierit. Factum id quoquest,* ubi in eodem versu ponitur *est* et omittitur; et hic nemo potuit scribere *factumst,* quia elisio necessaria est; neque Poen. v. 1055 *tu mortui sunt? Factum quod aegre tuli* de exclamatione cogitandum est; deinde Rud. v. 1365 *Bene mehercle factumst* nobis ostendit *est* poni, quamquam particula exclamativa adsit. Trin. v. 127 *Dedisti argentum. Factum neque facti piget.* Et etiam magis ex Rud. v. 892 *Bene factum et volup est*

*hodie me — Tetulisse auxilium* et ex Merc. v. 298 *Bene hercle factum et esse factum gaudeo* (i. e. bene hercle factum est et esse factum gaudeo) apparet exclamationis nullum esse locum, neque magis Epid. 707 *Factum hercle vero et recte factum iudico,* Most. v. 1147 *Bene hercle factum et factum gaudeo.*

Sin autem cum *factum* verbo ablativus coniunctus est, tum nemo loqui potest de exclamatione. Itaque R. quamquam Bach. v. 295 *Sapienter factum a vobis* propter numeros concedere debuit, tamen Pers. v. 774 *Tua factum opera* addidit frustra in fine versus *est: operast* et Most. v. 33 *Virtute id factum tua et magisterio tuo* mutavit *tua et* in *tuast* facile, sed falso, nam *est* ponatur minime oportet et asyndeton, quod inducitur, ab hoc loco alienum est. Praeterea si videmus Truc. v. 167 *Vostra hercle factum iniuria quae properavistis olim,* ego non dubito cum Vetere scribere

Trin. v. 1166 *Si id mea voluntate fáctum, ést quod mihi succenseas*

CD habent *factumst quod;* R. autem cum Camerario scribit: *factumst, est.* Profecto haec duo *est* peius in aures incidunt, quam ille hiatus, qui nihil habet offensionis; et illud prius *est* minime postulatur; ne autem quis spectatorum coniungeret ‚*factum est*', nullum fuit periculum propter pausam diaeresis. Denique quod hoc est enuntiatum a *si* incipiens, iam multa attulimus exempla p. 42, quibus ostenditur id nihil referre. Sin autem contra invenimus Cas. II, 6, 66 *Pietate factumst mea atque maiorum meorum* et Asin. v. 556 *Id virtute huius collegae meaque comitate Factum est,* hic quoque nihil aliud videmus quam utrumque Plauto libuisse.

Neque R. *est* addidit Most. v. 260 *Lepide dictum de atramento atque ebure,* quamvis non sit exclamatio. Brevior forma est Poen. v. 657 *Nimis lepide de latrone, de Sparta optume.*

Atque si legimus Epid. v. 35 *Edepol facinus im-*

*probum,* facile quisque de accusativo exclamationis cogitaverit; ne autem id faciat admonetur velut versu Amph. 857 *Nimis ecastor facinus mirumst, qui illi conlibitum siet.*

Et apud Terentium egregium habemus exemplum *est* verbi omissi Adel. v. 96 *Nullum huius simile factum* (i. e. huius filii nullum simile factum exstat, memorari potest); apud quem si legimus etiam Eun. v. 402 — *credere omnem exercitum, Consilia* :: *Mirum* Andr. v. 474 *Hui tam cito? Ridiculum* Hec. v. 424 *Ita usque adversa tempestate usi sumus.* || *Odiosum* Adel. v. 275 *tam ob parvolam Rem paene e patria? a turpe dictu* haec pro nominativis habenda sunt *est* verbo omisso, ut docet Adel. v. 106 *Id laudi ducis, quod tum fecisti inopia* || *Iniuriumst* et huc refero etiam Andr. v. 365 *Scio: magnum signum.*

Similia legimus apud Ciceronem ad Att. V, 19, 3 *quod scribis libente te repulsam tulisse eum, qui —, magni amoris signum,* ubi nominativum habemus sicut XI, 14, 3 *id si ita est, omnia faciliora, sin aliter, magnum negotium, cuius exitum non extimesco,* II, 7, 2 *si, ut scribis, bilem id commovet latoribus legis, spectaculum egregium;* II, 1, 5 *non consulare, inquies, dictum: fateor;* IX, 2ª, 1 *supplicandum igitur? miserum;* XIII, 22, 4 *De Bruto nostro perodiosum, sed vita fert.* Saepius ita *gratum* ponitur *est* verbo omisso, velut ad Att. IV, 9, 2 *quod Lucceio scribis et aedificium nostrum quod crebro invisis, gratum;* IV, 20, 3 *quod Ciceroni suppeditas, gratum;* XII, 30, 1 *quod Lentulum invisis, valde gratum;* VI, 1, 13 *Hortensio quod causam meam commendas, valde gratum;* III, 1, 12 *Balbum quod ais mature Romam esse venturum, id mihi pergratum perque iucundum;* ad Att. IV, 15, 1 *De Eutychide gratum, qui —;* XV, 17, 2 *gratissimum quod polliceris;* IV, 17, 3 nihil gratius. Quae exempla in unum locum contuli, ut probem inutiliter addidisse editores *est* ad Att. XII, 6, 3 *macte virtute, mihi quidem gratum* [*est* add.] *et erit gratius, si.* Quod

autem *et* particula modus finitivus adiungitur, nihil refert, nam habuimus *bene hercle factum et volup est* et cf. p. 62.

Ut nunc ad aliud genus omissionis transeamus, in interrogationibus iam Brixius contra Ritschelium omissionem admisit his locis: Mil. v. 307 *quid peius muliere atque audacius? (*R *peiust)* Amph. v. 318 *quid illac impudente audacius?* Et permulta eiusmodi exempla inveniuntur in Ciceronis epistulis: ad Quint. II, 8, 1 *quid enim mihi suavius?* ad fam. IX, 21, 3 *quid his inprobius?* X, 25, 2; ad Att. XV, 29, 1 *quid enim mihi meis iucundius?* ad Att. VIII, 2, 3 *hoc miserius, hoc turpius quicquam?* IX, 14, 2; XVI, 1, 1; IV, 6, 1; XII, 30, 1 *quid mihi iucundius quam, cum aut scribere ad te* —.

Eodem rettulit Brixius illos versus, quibus *nihil* cum comparativo coniungitur: Most. v. 279 *nihil hac docta doctius (*R *doctiust)* Men. v. 206 *nihil hoc confidentius, qui quae videt ea pernegat* Men. v. 622 *nihil hoc homine audacius.* Et quoniam invenitur Andr. v. 437 ‚*nil facilius*', cum Bembino scribendum esse censeo:

Adel. v. 98 ‚*Homine imperito nunquam quicquam iniustius, Qui nisi, quod ipse fecit, nihil rectum putat*' — minime vero cum ceteris *iniustiust* quod receperunt Fleck. et Umpf. Praeterea consentiunt libri mss: Eun. v. 50 *si quidem hercle possis, nil prius neque fortius.*

Apud Ciceronem quoque inveniuntur permulta: ad Att. V, 15, 1 *nihil exoptatius adventu meo, nihil carius; re publica nihil desperatius, iis quorum opera nihil maiore odio;* IV, 8ª, 2; XVI, 3, 2 *odit enim provinciam et hercule nihil odiosius* (quamquam hic quoque modus finitivus per *et* adiungitur); ad fam. III, 2, 2; III, 4, 1; XI, 15, 1 [1]).

Quae cum ita sint potuit Geppert. scribere Cas. II, 1, 11 *te demum nullum scitum scitius*, ubi libri falso repetunt ex II, 1, 8 *scitus es,* et sine ulla dubitatione huc addo: Mil. v. 1117 *quid potius quam ut tute adeas,*

1) Atque adeo Prop. II, 9, 34 *te nihil in vita nobis acceptius unquam*

ubi Ritschl.: *potiust* inutiliter, praesertim si confero Cic. ad fam. XVI, 1, 3 *amor ut valentem videamus hortatur, desiderium, ut quam primum. illud igitur potius; cura ergo ut valeas.*

Quae omissio minime propria est comparativi, quod Brixius censuit, sed multo latius patet. Atque ut primum de interrogationibus agam, legimus Pers. v. 107 *Ita fieri iussi: ecquid halaecis?* ubi R. inutiliter scripsit *holaecist,* nam etiam Poen. v. 253 traditur: *ecquid gratiae, cum huc foras te evocavi?* Mil. 1111 *Quid is? ecqui fortis?* R. *fortist,*

Deinde Stich. v. 769 *Qui Ionicus aut cinaedicus, qui hoc tale facere possit*

et Asin. v. 167 traditur: *qui modus dandi?* nec video, quid ita offendat viros doctos, ut mutent secundum v. 169: *quid modist ductando, amando* in *quid modist dando.* Opusne fuit Plauto semper eadem dicendi forma uti? Idem scripsit Men. v. 231: *Nam quid modi futurumst illum quaerere* infinitivum pro gerundio; *est* autem omitti posse illo Asin. versu ostendunt etiam hi Ciceronis loci :: ad Att. XV, 15, 3 *qui porro noster itus, reditus, voltus incessus inter nostros?* IX, 10, 4 *quae enim finis peregrinationis?*

Apud positivum non minus quam apud comparativum verbum omitti ostendunt nobis hi loci: ad Att. XI, 22, 1 *quid enim tam pervolgatum, quam illius in me odium et genus hoc litterarum?* IV, 17, 3 *verum tamen quid tam ridiculum?* XII, 18[a]; XIII, 46, 3 *quid minus probandum, quam?* Apud Horatium quoque legimus Sat. II, 3, 283: *quid tam magnum?*

Quis igitur qui memoria teneat, quam saepe participia careant verbo substantivo, iam dubitaverit, quin Pers. v. 229 *Quid istic scriptum?* :: *Iuxta tecum nescio* R. iniuria scripserit *scriptumst;*

Mil. v. 1306: *quid istuc quaeso quid oculo factumst tuo* R. scribit: *quid istúc est quaéso, quid oculo —;* sed

quid melius est, quam traditam lectionem retinere versu sic distincto: *quid ístuc, quaéso? quid oculo f. t.?* Etiam si mavis scribere: *quid istuc quaeso, quod —*, potest *est* deesse, nam attulimus Bach. v. 583 *quid istuc?* et utrum sequatur relativum enuntiatum necne nihil refert. Itaque censeo etiam Truc. v. 917 servandum esse *quis illic homo?* neque *est* addendum, utcunque totus versus restituatur.

Porro Poen. V, 6, 7 *Quid tibi mecum autem?* mutant editores in *autemst,* quia sibi persuaserunt in hac formula fieri non posse, ut verbum omittatur. Sed ostendam exemplis hic quoque omissionem debere tolerari. Nam primum quidem habemus etiam apud Plautum alterum exemplum Cist. IV, 15 *Nihil mecum tibi. mortuos tibi sum,* quae exempla iam inter se tuentur. Neque vero desunt aliorum scriptorum loci, quibus apparet libros mss. recte nobis id, quod Plautus scripsit, tradidisse.

Apud Terentium enim legimus: Adel. v. 678 *aut quid nobis cum illis?* Eun. v. 511 *Roget quis ‹quid rei tibi cum illa›?* sic igitur rogabant Romani sine verbo substantivo.

Atque Cicero scribit ad Att. XII, 21, 5: *quid enim mihi cum foro sine iudiciis, sine curia?* I, 16, 10 *Quid, inquit, homini Arpinati cum aquis calidis.* Hic, ubi verba Clodii ipsa afferruntur videmus apertissime, quomodo collocuti sint [1]).

Et gravior omissio apud Horatium invenitur Sat. I, 9, 43 *Maecenas, quomodo tecum?*

Et durior omissio *loqui* verbi videtur Trin. v. 567 *Quid tecum, Stasime?* cf. p. 16.

Denique viri docti securi scribunt *autemst; est* autem collocatur post *mecum* vel *tecum:* Men. v. 639 *nihil mihi tecumst;* 816; Stich. v. 333 *quid mecumst tibi* Aul. v. 632 *quid tibi mecumst commerci?* Quae cum ita sint quoniam ille Poenuli versus *‹mecumst›* repudiat, etiam minus dubi-

1) Ovid. ars. am. I, 305 *quid tibi cum speculo montana armenta petenti?*

tandum est, quin recte se habeat interrogatio: *Quid tibi mecum autem?*

Ut nunc adiungamus interrogationes ab *ubi* incipientes, non possumus facere quin admoneamus illius versus Asin. 196: *ubi illaec quae dedi ante?* quem integrum reliquerunt viri docti. Qui autem hic *sunt* omitti concedere debet, is inconstantiae convincendus est, si eadem condicione *est* deesse posse negaverit. Itaque integri relinquendi sunt primum hi versus Plautini:

Cas. v. 438 *Úbi tua úxor? Intus illa te manet*

atque hic quidem vix quisquam immisceat *est,* quia versus id vetat fieri, sed ubicunque in tali enuntiato occurrit verbum iu *-us* terminans, non verentur *t* litteram adscribere. Quod faciunt falsissime velut:

Curc. v. 437 *ubi ipsus? quor non venit?*

ubi Goetz. cum Fleckeis. scribit *ipsust;* Plautus autem fortasse, si omnino verbum scribere voluisset, libentius scripsisset *ubist ipsus* sicut legimus Epid. v. 22 *sed ubist is;* Epid. v. 40 *ipse ubist.* Ne multus sim, certissimum est Plautum *ubi ipsus* scripsisse sicut etiam Mil. 9 *Sed ubi Artotrogus?* frustra R.: *‹-gust'›;* invenimus Truc. v. 588: *Dic, amabo te, ubist Diniarchus?* non *-chust* Merc. v. 130 libri: *ubi Charinus erus? (*B: *servus)* R. autem totum versum sic restituit:

*Aperite aliquis ubi Charinus erus est? dominest an foris?*

Primum mihi displicet, quod hic haberemus *dóminest,* v. 127 autem *domíne an foris dicam esse erum,* deinde qua de causa *est,* cuius plenam formam versus hic postularet, excidisse statuamus? Quoniam igitur Plautus *est* non scripsit, quid vituperandum est in versu sic tradito:

*Aperite aliquis: ubi Charinus erus? dominest an foris?* Sin autem *est* scribendum esset, magis exspectarem *ubi Charinust erus* secundum Pers. v. 277 *Ubi Toxilus est tuus erus,* ubi plenis litteris *est* a libris cum A traditum est, quamquam versus postulat *Toxilust.*

Deinde traditur Mil. v. 364 *Ubi iste bonus servus? qui —;* R. metri causa *istést bonus servus* et spatium in A ei satis magnum videbatur. Neque vero minus probabilis est Bothii coniectura *istic bonus,* quae etiam Ritschelio placuit, qui tamen frustra postulavit, ut tum *servost* scriberemus. Quod *est* supervacaneum est, puto scribendum esse cum Bothio *‚ubi istic bonus servus'*, ne deleamus hic formam dicendi bene Plautinam.

Cui autem exempla Plautina nondum persuaserunt, ei alia afferemus; hic enim usus non est Plauti proprius sed omnino sermonis Latini communis. Nam apud Terentium legimus Andr. v. 637: *At tamen ‚ubi fides?' si roges, nil pudent hic* Sic igitur rogatur Latine. Fere eiusdem generis est Phorm. v. 484 *Phaedria tibi adest. Ubinam? Eccum — exit*

Et Ennius scripsit Alex. frg. 77: *Ubi illa tua paulo ante sapiens virginali modestia?*

Atque Cic. ad Att. X, 9, 2 *ubi ille ergo animus? quem proximis litteris?* XIII, 40, 1 *ubi igitur φιλοτέχνημα illud tuum, quod vidi in Parthenone?* ad fam. XV, 18, 1 *ubi igitur, inquies, philosophia? tua quidem in culina, mea in palaestra est.*

In talibus igitur enuntiatis omitti posse *est,* quis etiam nunc negabit? Et ad sententiam meam sustentandam etiam afferi potest: Cist. IV, 1, 16 *nam obsecro, unde haec gentium?* Hor. Sat. II, 1, 52 *unde nisi intus monstratum?* et cf. quae attulimus *sunt* omissi in talibus interrogationibus exempla (p. 71) [1])

Quid autem attinet, si in aliis haud paucis exemplis Plautus posuit *est?* si etiam apud Terentium praeter *ubi fides* invenitur *ubinamst fides?* Haut v. 256? Velut Bach. v. 872 Plauto opus fuit *est* verbo, ut plenum versum conderet: *Quid clámas? Ubi erus tuus est? Nus-*

1) Prop. III, 32, 41 *an quisquam in tanto stuprorum examine quaerit ‚cur haec tam dives? quis dedit? unde dedit'?* Verg. ecl. X, 21 *unde amor iste, rogant, tibi?*

*quam, nescio.* Quoniam scriptoribus Latinis utraque ratio placuit, cavendum est, ne nos unam tantummodo agnoscamus:

Deinde si novimus Afran. frg. 15 *quis tam sagaci atque ingenio unico?* Hor. Sat. II, 7, 83 *quisnam igitur liber? Sapiens* II, 3, 158 *quisnam igitur sanus? ‚Qui non stultus'. Quid avarus? ‚Stultus et insanus'. Quid si quis non sit avarus, Continuo sanus? ‚Minime'*, tum minime putamus falso nobis traditum esse

Mil. v. 314 *Quis magis deis inimicus natus, quam tu?* R. autem scribit *natust.* Nam quod hic apud perfectum deponentis deest verbum substantivum, conferas velim, quae in secunda singularis persona nobis occurrerunt exempla, ubi (p. 16) etiam iam egimus de Trin. v. 563 *Quid hic locutus tecum?*

Ibi defensi sunt etiam Poen. v. 965: *Num nam in balineis circumductus pallio?* Truc. v. 602 *Num obsecro nam ariolus, qui ipsus se verberat?* Men. v. 877 *Quid esse illi morbi dixeras? navra senex;* || *Num laruatus aut cerritus? fac sciam* Commemorandus est hic locus Horatii Sat. II, 3, 295 *quone malo mentem concussa? timore deorum.*

Et si hos contemplamur locos Ciceronis: ad Att. VIII, 3, 4 *non ager Picenus amissus? non patefactum iter ad urbem?* XIV, 14, 1 *coronatus Quintus noster Parilibus? solusne* IV, 18, 1 *quomodo ergo absolutus?,* non dubitamus quin falso *est* addiderint editores: ad Att. XII, 40, 2 *dum tua me domus levabat, quis a me exclusus?* praesertim cum etiam alia multa inveniantur exempla, ubi in non subordinatis et subordinatis enuntiatis *est* omittitur apud perfectum passivi. Quae cum ita sint vereor ut quis cogitet de *est* addendo Men. v. 181 *Ah, solem vides Satin ut occaecatus prae huius corporis candoribus?*

Si igitur ex his interrogationibus ne unum quidem mutandum est exemplum, fortasse gravior exsistet dubi-

tatio nunc cum demonstraturus sum Plautum etiam in *opus est* formula similibusque minime repudiavisse omissionem verbi substantivi. Etsi mihi non continget, ut quatenus haec pateat omissio, certis finibus circumscribam, tamen id certissimum est etiam Plautum *opus* scripsisse pro *opus est.* Quod ut statuam, me inprimis movent ea quae apud alios scriptores inveni exempla. Legimus autem apud Ciceronem satis memorabilem locum ad Att. XV, 1ª, 1: *‚quid mihi iam medico? aut si opus est tanta inopia est'*, ubi in hac interrogatione etiam *opus est* omittitur; ad Att. VI, 2, 9 *sed iam quid opus equitatu?* Eadem omissio occurit apud poetas lyricos: Tib. I, 6, 33 *Quid tibi coniuge opus? tua si bona nescis Servare, frustra clavis inest foribus.* Prop. II, 6, 25 *templa Pudicitiae quid opus statuisse puellis, Si cuivis nuptae cuilibet esse libet?*

A lingua Latina igitur haec omissio non fuit aliena; et cur Plauto abiudicatur, apud quem tot inveniuntur exempla *est* omissi, ut dubitare non possimus? Pseud. v. 349 *quíd opus gládio?* Mil. v. 636 *quid opus nota noscere* v. 469 *Meus Palaestrio, machaera nihil opus. Quid iam?* Merc. v. 396 *nihil opus nobis ancilla, nisi quae texat* Truc. v. 873 *Quid eo opus?* :: *In rem meam* Rud. v. 111 *Quid opus, adulescens?*

Merc. v. 423 *Dixit se redhibere, si non placeat Nihil istoc opus*

sic B: CD *opust:* mihi versimilius videtur aliquem, qui desidaret *est* addidisse in fine versus, quam omisisse. Item

Most. v. 285 B: *Cedo cerussam.* :: *Quid cerussa opus nam?* :: *Malas qui oblinam*

CD *opust nam qui:* R. *cerussa nam opust* sed videamus, antequam decernamus

Mil. v. 1154 B: *ópus dolis. Domi ésse ad eam rem* Cum hic rursus CD praebeant *opust dolis,* iam deprehendimus illum falsarium, qui illud *est* sua manu addidit;

nam metrum corruit ‚*est*' verbo addito, ita ut R. qui illud *est* retineat, cogatur scribere: *ópus dolís est. Domi esse ad eam rem*, quod neque melius est neque necessarium. Vetus codex tradidit nobis veram lectionem.

Capt. v. 589 *Ardent oculi: fune opus Hegio* Fl. scribit: *Hegiost*, qua collocatione non commendatur correctio; nam minus durum est Per. v. 584 *Si tibi vaenissest opus* et Trin. 887 *opus factost viatico;* secundum quae nostro loco esset: *funest opus.*

Amph. v. 1038 *Quíd opus me ádvocato, qui utri sim advocatus, nescio*

talem B habet versum sanum atque integrum; DE ‚*opust med*' et R. ne illud *med* periret, formavit audacius versum sic: *Quíd opus ést med advocato, qui me utri sim, nescio?* qualem receperunt in textum Goetz. et Loew.; ‚*est*' autem, quod R. acuit, prorsus supervacaneum est. Debemus retinere Veteris lectionem cum Becker. et Umpfenb.

Pseud. v. 1255 BC: *quid opús me múltas agere ambages:* A *opus est, unde* R. *opust* item Pers. v. 532 *quid eo mihi opus matrimonio* A habet ‚*opus est*' ceteri: *opus,* v. 530 autem BC quoque *opus est* sic plenis litteris scriptum. Quid igitur, si Plautus vero priore loco *opus est* scripsit, altero *opus,* et A consilio mutavit alterum locum? Nam dicere sine ulla dubitatione Ambrosiani auctoritatem amplectendam esse viri docti dubitabunt, si viderint Poen. v. 428 contra ceteros Ambrosianum tradere:

*quid opus verbis?* de qua formula paulo fusius agemus. Traditur Merc. v. 106 *quid opus verbis mi atque advexi heri* R. et Ussing. scribunt: ‚*quid verbis opus est, emi*', quam scripturam vix esse Plautinam contenderim, nam Plautus scribit aut: *quid opust verbis* Most. 993; Aul. 468; 472; Capt. 937; Curc. 79; Poen. 570; Rud. 589; aut *quid verbis opust* Bach. 486; Amph. 776; Poen. 113; Trin. 553; Rud. 85; ut Bach. v. 1164 Both.

recte transposuerit ‹*quid opust verbis*› pro *quid opus verbist*, nam semper in hac formula *est* coalescit cum ‹*opust*› De illo versu Mercatoris igitur non dubitandum est, quin recte traditum sit: ‹*quid opus[t] verbis*›; sed versus mancus est et equidem proposuerim:

*Quid opús[t] verbís [multis]? emi atque advexi heri,*

quod aptum esse nemo negabit: nam multa verba fecit prologus, quia amori accedit *multiloquium*. Et invenimus Men. v. 473 *Idem ego dicebam quid multis verbis [opust]*, ubi *opust*, quod casu excidit, a Pylade restitutum est.

Etiam in hac formula ut vidimus libri ter (Mil. v. 1213 et Merc. v. 106 et Poen. v. 428 A) verbum *est* omiserunt. Sed si quis postulet ut Plautus in hac quidem formula sibi constet, ei non multum obloquar, nam difficile est certis finibus hunc usum circumscribere. Id concedendum est librarios non minus facile addere potuisse quam omittere neque quisquam negare audebit Plautum etiam apud ‹*opus est*› omisisse *est*, nam nondum omnia attulimus exempla sed etiam in enuntiatis relativis omittitur, ‹*est*› Mil. v. 917 *remoratur quod opus qui det* Amph. v. 970 *ut adparentur quibus opus* (I *opus est*). Et illud hic quoque monebo non ita certum esse ‹*est*› semper adscribere ‹*opus*› vocabulo. Velut si Truc. v. 873 traditur ‹*quid eo opus*›, equidem, si ‹*est*› addendum esset valde dubitarem, utrum scriberem ‹*eost*› an ‹*opust*›; nam traditur Amph. v. 341 *quid eost opus* Merc. 405 *Nam quid eost opus*, cuius collocationis paulo infra etiam plura adscribemus exempla.

Nunc enim nobis agendum est de Bach. v. 398 qui summi momenti est ad rem, de qua agimus, recte diiudicandam. Summa enim contentione negarunt viri docti verbum substantivum deesse posse apud *aequum est par est certum est melius est, similia*. Traditur autem Bach. v. 398:

*Qua me causa magis cum cura esse áecum: obvígilatóst opus*

(libri: *ea cum*); numeri sunt elegantes et integri; cavendum igitur est, ne sine gravi causa quid mutemus, ne quod bonum est, melius reddere conemur. R. autem ratus *aequum* carere non posse *est* verbo scripsit *aecumst,* qua re ipse se coegit mutare finem versus in *obvigilato opust,* qua mutatione tota ratio refellitur egregie.

Plautum enim re vera scripsisse *obvigilatost opus* discimus ex his exemplis: Curc. v. 596 *quia mi quaesitost opus;* — v. 302 *quod des inventost opus;* Bach. v. 219 *mi homine conventost opus;* Amph. v. 628 *nam mihi istuc primum exquisitost opus;* v. 505 *Citius quod non factost usus fit quam quod factost opus;* cf. Poen. v. 313, Amph. v. 769; Trin. v. 807 *quod iam properatost opus;* Etiam Adel. v. 342 *quoquo pacto tacitost opus* Mil. v. 805 R. quidem ‚*properato opus est*', Brix. ‚*propere opus est*'; cum lectio incerta sit, eodem iure proposuerim ‚*properatost opus*' ut Trin. v. 807; et Merc. v. 330 melius est cum R. legere: *hoc mihi visost opus,* quia libri habent: ‚*hoc nunc mihi visost opus*' quam cum Acidalio *nunc* retinere et optimam verborum collocationem mutare in: *viso opust;* et v. 333 melius cum libris retinemus *praecautost opus* et *sed* delemus, quam ut cum Adid. scribamus: ‚*sed praecauto opust*' Most. v. 902 libri praebent octonorium trochaicum: *Sed eo magis cauto est opus ne huc exeat, qui male me mulcet* R. audacius totum illum locum mutat et talem versus finem habet: *cauto opust mihi,* qua collocatione non ita commendatur mutatio, quamquam invenitur etiam Merc. v. 466 *cauto opust;* Deinde cf. Rud. v. 726 *immo aliost opus;* 1328 *arido argentost opus* Pers. v. 82 *quoius mihi auxiliost opus* Stich. 632 R. proposuit: *consilio sanost opus* quod facere non possum quin comprobem; et Cas. III, 6, 15 cum A habeat *opust servo* ceteri libri: *servo opus est* fortasse scribendum est: *servost opus,*

Itaque iam refutasse mihi videor Anspachii coniecturam, qui Bach. v. 398 scribit: *magis cum cura esse et cum obvigilatust opus.* Necesse est retineatur: ‚*obvigilatost opus*'. Tum autemfieri non potest, ut scribatur ‚*aecumst*'. Plautus scripsit ‚*aequum*' neque id negari debet, praesertim cum hoc non unicum sit exemplum; vide enim Mil. v. 1070 *Facis nunc ut te facere aequom,* ubi R. item falso scripsit ‚*aequomst*', ad quod reiciendum fortasse etiam Mil. v. 286 commemorari potest: ‚*Di te perdant. Te istuc aequom, quoniam*' quod vacuum est omni dubitatione (vide p. 12) neque R. ipse mutavit Bach. v. 209 *Scitum istuc,* quod versus tuetur.

Quae cum ita sint, quoniam vidimus Plautum usurpasse *aequom* pro *aequom est* iam nullam causam habemus, cur negemus idem factum esse apud ‚*par est*'.

Bach. v. 219 *Malos quam bonos par magis me iuvare*

ubi R. ne omittatur ‚*est*', scribit ‚*magist*'. Sane inveniuntur exempla ubi *est* ab impersonalibus interiecto alio verbo dirimitur, sed ea sunt, ut *est* facile cum vocali coalescat: *par facerest, humanum ignoscerest, certum exequist* (cf. Vahlen. Herm. XVII.) Neque dubitari potest, quin *est* cum *-is* coeat in unam syllabam, velut Merc. v. 672 *tantum hoc onerist* Mil. v. 779 *quae cupiens huius corporist* Stich. v. 74 *exorabilist;* tamen retinenda est tradita lectio. Et afferam quamquam paulo aliter se habet: ad Att. IX, 13, 3 ‚*quin etiam illud par in utroque nostrum, quod illecti sumus*'.

*Melius* sine *est* verbo saepius occurrit apud Plautum, quos locos omnes mutare audaciae est. Sed priusquam hos locos adscribam, oculis subiciam quae inveni apud alios scriptores exempla neque mutantur ab editoribus. Cicero[1]) scribit ad Att. XIV, 22, 2 *miliens mori melius huic praesertim aetati* VI, 6, 4 *hoc melius et huius rei*

1) cf. Vahlen. adn. ad Cic. de leg. III, 20, 47 ed. sec.

*plura exempla, senectuti quidem nostrae aptius.* Hor. Sat. II, 1, 54 *melius non tangere clamo* Prop. V, 10 35 *Cossus ait forti melius concurrere campo* II, 12, 19 *intactos isto satius temptare veneno*

Itaque integros relinquemus hos versus Plautinos: Rud. v. 145 *Cererem te melius quam Venerem sectarier* Mil. v. 292 *Medicum tibi istuc melius percontarier* Truc. v. 948 *Melius te minis certare mecum quam minaciis* Epid. v. 669 *Alium te tibi melius comitem quaerere*

Mil. v. 881 B: *melius monerier* C: *meliust* R. *meliust te;* cur non *melius te?* sic enim habemus etiam in C vestigium *te* pronominis. Mil. v. 351 res aliter se habet et ibi cum A *meliust* scribendum est: *nec quoiquam alii in nostra meliust famulo familiae*

Truc. v. 926 traditur: *mortuom hercle me adeo satius: abstine* v. 928 autem *Nil alapari satiust, miles, si te amari postulas* libri habent plenam formam *est.* Cur verbum priore loco excidisse censeamus, si Plautus scripsit, neque exputare possum et illud prius enuntiatum breviter dictum est et cum commotione animi, fere est exclamatio. Nos nullam causam habemus, cur Plauto hanc, quam voluit, diversitatem eripiamus.

Deinde quod viri docti censuerunt apud ‚*certum est*' verbum deesse non debere, primum legitur apud Ovid. Met. V, 519 ‚*Si reperire vocas, amittere certius*' sed ne quis obvertat comparativi naturam facilius admittere omissionem, contemplemur hos locos: ad Att. VII, 11, 1 *ubi est autem dignitas nisi ubi honestas? honestum igitur habere exercitum nullo publico consilio.* VIII, 3 7 *sed turpe Domitium deseri inplorantem eius auxilium*[1]) Hor. Sat. I, 5 *namque pila lippis inimicum et ludere crudis* Quid autem habet ‚*certum*' proprium?

Merc. v. 39 *Illuc revorti certum, ut conata exequar* minime cum Ritschelio mutari debet in: ‚*certumst, ut*

1) Prop. V, 6, 45 *turpe Latinos principe te fluctus regia vela pati.*

*coepta exequar'*, nam etiam Accius frg. 202: *quae ego incipio conata exequar*

Mil. v. 395 BC: *Facere certum.* A: *certum est* neque fieri non potuit, ut *est* in fine versus adderetur.

Substantiva, a quibus pendet infinitivus, inveniuntur sine *est* apud Verg. Aen. IV, 113 *tibi fas animum temptare precando* IV, 565 *non fugis hinc praeceps dum praecipitare potestas?* Prop. II, 1, 47 *laus in amore mori, laus altera si datur;* I, 2, 23 Praesertim si invenimus apud Catull. 62, 3: *surgere iam tempus iam pinguis linquere mensas* et Aen. XII, 157 *non lacrumis hoc tempus, ait Saturnia Iuno* Prop. II, 10, 1 *sed tempus lustrare aliis Helicona choreis* haud scio an falso desideretur *'est'*

Asin. v. 912 *Tempus subducere hinc me, pulcre non gliscit proelium* In B deest *est* etiam Amph. v. 529 *Témpus — exire ex urbe priusquam lucescat volo* sed hic recte additur. Neque vero mutandum censeo Asin. v. 376 *dico ut usus fieri* quoniam etiam *opus est,* quod idem significat, sine *est* saepe invenitur.

Neque quisquam obvertere debet multo saepius inveniri plenas formulas, nam conceditur Plautum *'certa res'* sine *est* scripsisse, quamquam saepius *est* additum est:

Stich. v. 437 *Promitte* :: *Certumst.* :: *Sic face inquam* :: *Certa res*

ubi *est* facile in fine versus addi potuit a ceteris libris, quod A non habet; sed Mil. v. 297 ceteri: *Res paratast: vi pugnandoque hominem capere certa res,* A *caperest certa res;* Merc. v. 857 B quoque habet: *certa rest me quaerere* (C: *res est*); Rud. v. 175 legimus: *horsum si capessit, salva res;* v. 1037 autem: *Euge, sálva rés est: praeda haec perpetuast mea* Certius exemplum est Capt. v. 448 *Perge ad alios: venio ad alios deinde ad alios: una res* Fl. frustra add. *est;* Geppert quidem nunquam scripsit *rest* sed ubique *est* ut falso additum omisit velut

Cas. V, 2, 18 *Perii hercle ego: manifesta res:* libri: *res est* Et *est* alio loco positum videmus Mil. 225 *res subitariast* Bach. v. 194 *res nullast* Epid. v. 661 *magnast res.*

Sane mirandum est Terentii quoque libros pariter inter se dissentire, nam Eun. 361 Bembinus habet:

*Estne ut fertur forma? Sane, at nihil ad nostram hanc* :: *Alia res:* ceteri falso: *res est.* Eun. v. 268 autem omnes libri habent *res est*:

*Rivális servom: sálva rés est: nimirum homines his frigent* non adsentior Fleckeiseno, qui ex A: ‚*Komines*' versum format: — *salva res nimirum hisce homines fr.*

Etsi ne hic quidem decernere possumus, quatenus patuerit omissio (num latius, quam quo vestigia librorum nos ducant?) tamen eam admissam esse a Plauto et Terentio intellegimus, et id confirmatur his locis Ciceronis: ad Att. II, 22, 6 *mutationis tamen spes nulla;* II, 22, 6 *invidiosa res;* ad fam. II, 7, 2 *plena res nummorum;* Quae cum ita sint constat ad Att. XIII, 41, 2, *magna enim res et multae cautionis* falso addidisse editores *est* post *res.* In similibus quoque locis Ciceronem omisisse *est* ostendimus p. 62 [1])

Ut intelleximus in interrogationibus facile omitti *est* sic nunc ostendemus etiam a ceteris sive subordinatis sive non subordinatis enuntiatis omissionem minime alienam esse. Unum illud genus exemplorum, quod vel certissimum est, iam absolvimus p. 11, ubi vidimus facillime *est* omitti, si pronomen tertiae personae pro subiecto positum adsit. Neque aliter se res habet, si nomen cum pronomine coniungitur vel nomen solum ponitur: ad Att. I, 12, 1 *Teucris illâ lentum sane negotium*

1) Cat. 64, 186 *nulla fugae ratio, nulla spes;* Prop. II, 5, 107 *ars bona — sed postquam;* IV, 3, 61 *certa loquor, sed nulla fides;* IV, 3 *magna, viri, merces: parat ultima terra triumphos.*

*neque Cornelius ad Terentiam postea rediit* II, 19, 5 *Caesar me sibi volt legatum — honestior haec declinatio periculi;* VI, 2, 5; et XII, 4, 6 *neque enim ista maior admonitio, quam quibus assidue conficior* VII, 7, 4 *cetera videntur esse tranquilla, tranquillissimus autem animus meus* VII, 13, 1 *quorum dux quam ἀστρατήγητος tu quoque animadvertis; quam sine consilio, res testis.* (Etiam Petronius: *Homerus testis et lyrici Romanusque Vergilius et Horatii curiosa felicitas,* ubi Buech. frustra proposuit *est et*) [1]); ad Att. XIV, 6, 1; XIV, 11, 1 *verum illis magna consolatio conscientia maximi et clarissimi facti, nobis quae?* Et si legimus ad Att I, 19, 1 *Metellus non homo sed litus atque aer et sollicitudo mera,* ut apud Petron. 23, 38 *phantasia, non homo* et ad Att. XI, 4, 2 ‚*Brutus amicus; in causa versatur acriter*' et XII, 2, 1 *sed auctor nullius rei quisquam,* tum intellegimus falso additum esse a viris dd. *est* ad Att. XV, 13, 5 *Dolabella vir optimus.* cf. etiam ad Att. I, 13, 2.

Plura possum afferre, sed ut transitum ad Plautum mihi parem nunc exempla Terentiana adscribam: Adel. v. 687 *Iam id peccatum primum magnum* Haut. v. 461 *Omnis sollicitos habuit atque haec una nox* — 521 *Mulier commoda faceta haec meretrix* Andr. v. 970 *Pater amicus summus nobis* cf. Phormio v. 104

Quam igitur causam habemus dubitandi de his versibus Plautinis?

Mil. v. 1071 libri: *non hoc insulsum hinc ingenium* R. *non insulsum huic ingeniumst* Ussing. rectius, ut mihi videtur: ‚*non hoc insulum ingenium*'. Utique *est* supervacaneum est.

---

1) Tib. I, 7, 91 *Tarbella Pyrene Testis et Oceani litora Santonici, Testis Arar Rhodanusque celer magnusque Garumna* Prop. III, 26, 47 *testis Amymone, latices cum ferret in Argis compressa et Lernae pulsa tridente palus* V, 3, 49 *omnis amor magnus sed aperto in coniuge maior* II, 26, 45 *sed non Neptunus tanto crudelis amori Neptunus fratri par in amore Jovi*

Truc. v. 820 *meum illuc facinus, mea stultitiast;* si Kiessling. *facinust* scribit, ei id adsentior non supplendum esse verbum sequens; attamen *est* omitti potest.

Curc. v. 15 *Huic proximum illud ostium occlusissimum*

Sic hic versus elegans et sanus traditur. Id si ita est, mutationes solent carere probabilitate; minime autem propter *est* omissum hic versus tentandus est.

Deinde v. 16: *Salvé! valuístin [usque] ostium occlusissimum,*

ubi finem versus falso repetitum esse in aperto est atque Festus nobis veram lectionem servavit qui habet: *oculissimum ostium amicae:* Itaque apud Goetzium recte legimus: Salve valuistin usque oculissumum ostium. Quod autem ne illud *amicae* periret Goetz. totum novum versum condidit, errasse mihi videtur: illud *amicae* potest ibi perspicuitatis causa additum esse, quod in textu Plauti non desideratur. Itaque proposuerim:

v. 15 *Huic proxumum illud ostium occlusissumum.*

v. 16 *Salve, valuistin usque oculissumum ostium?*

Nonne omnia plana sunt et plena leporis?

Amph. v. 1091 *Amphitruo hic quidem erus meus,* propter sententiam quidem *est* facillime abesse potest, sed numerorum causa Kiessl. add. *est,* quod Goetz. in textum recepit. Quae emendatio quoniam facillima est improbari vix potest. Nulla autem re commovemur, ut aliquid mutemus

Truc. v. 808 *Puer quidem beatus: matres duas habet et avias duas,*

nam permulta iam attulimus (p. 12) exempla, quibus ostenditur saepe sic omitti *est,* praesertim si *quidem* pars est enuntiati. Et liceat mihi hic adscribere simillimum locum Propertii I, 3, 39 *digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles.*

Quis autem dubitet de Poen. v. 61 *eorum alter vivit, alter emortuos* qui meminit legisse apud Cic. ad

Att. IX, 5, 2 ‚*alter religiosus dies, alter ignotus*'? Et quoniam versus mancus est, fortasse aliud quaerendum est remedium. Neque vero Most. v. 288 *aurum turpe mulieri* quidquam addendum est.

Deinde quoniam Ritschelius concessit apud, ‚*nudius sextus*' et similia omitti verbum, non licuit illi mutare Stich. v. 30: ‚*nam viri nostri domo ut abierunt, hic tertius annus*'; neque *est* addendum est cum Fl. in Pompon. fr. 77: *Dies hic sextus cum nihil egi* —

Neque vero hoc spatio circumscripta est libertas omittendi sed ibi quoque omitti *est* potest, ubi praepositio cum casu praedicatum est vel casus dativus sive ablativus: cf. quae attulimus p. 70 squ. de *sunt* ita omisso et vide: Cic. ad fam. III, 7, 1 *Romae et maxime Appia ad Martis mira proluvies;* ad Att. VII, 13, 2 *spes omnibus in duabus retentis paene alienis legionibus.* XVI, 5, 4 *magna ῥοπή ad proficiscendum in tuis litteris.* Deinde si legimus ad fam. X, 12, 3 *eo autem die magna mihi pro tua dignitate contentio cum Servilio, qui cum gratia effecisset, ut sua sententia prima pronuntiaretur, frequens eum senatus reliquit,* non video, quo iure Lambinus addiderit *est* verbum ad fam. XIII, 19, 1 *Cum Lycone Patrensi est mihi quidem hospitium vetus quam ego necessitudinem sancte colendam puto, sed ea causa* [*est* add.] *etiam cum aliis popularibus, familiaritas tanta nullo cum hospite.* cf. etiam. ad Att. XVI, 1, 4 *quid ergo? ad Kal. Ian. in Pansa opes? λῆρος πολὺς in vino et somno istorum;* XIV, 11, 2 *Lentulus Spinter hodie apud me, cras hic mecum Balbus — modo venit Octavius* [1])

Et propter *hic* adverbium mihi liceat commemorare Verg. ecl. X, 42 *hic gelidi fontes, hic mollia prata, Lycori, Hic nemus;* Prop. IV, 3, 23 *hic genus infidum*

---

1) Aen. IV, 319 *si quis adhuc precibus locus* Prop. II, 7, 5 *sed magnus Caesar in armis*

*nuptarum;* Tib. I, 3, 5 *abstineas, mors atra, precor: non hic mihi mater non soror — non Delia usquam*

Quae cum ita sint recte nobis traditum esse putandum est

Most. v. 933 *Hic quídem neque convivarum sonitus item ut antehac fuit?*

R. frustra *sonitust;* neque quisquam mutavit Rud. v. 1413 *Nihil hercle hic tibi, ne tu speres;* Mil. v. 378 *Certo neque solarium apud nos neque hortus ullus* Et Poen. 757 *Tuorum apud me nemo nec quicquam tui* recte videntur DP *est* omisisse; melius autem videtur esse cum A *est* addere Mil. v. 398 *nunc quidem domi certo,* quia sermo hic sine subiecto est obscurus.

Capt. v. 336 *Tam hoc quidem tibi in proclivi, quam imber est, quando pluit* non cum Fl. scribendum est *proclivist*

Quoniam vidimus Afran. fr. 15 *Quis tam sagaci atque ingenio unico* recte cum $B^2$ scribimus Mil. 464 *Neque eques neque pedes profecto quisquam tanta audacia;* $B^1$ *profectos,* C profectus, R. profectost.

Et integer est Mil. v. 1113 *Nam cum illa sane congruus sermo tibí,* sicut ad fam. X, 12, 3 *magna mihi contentio cum Servilio* Neque Truc. v. 189 ubi A cum rell. praebet *Utut aliis tibi quidem intus* ausim scribere *intust.* Nam omnia sunt perspicua etiam sine verbo ex antecedenti interrogatione: *Estne intus nunc Phronesium?* nam in responsis Plautus non repetere solebat *est.*

Poen. v. 340 *Bellula hercle* :: *I dierecte* — haud debemus scribere *herclest* neque enim hiatus nos offendit et iam habuimus (p. 93) *puer quidem beatus* et Cic. ad Att. XVI, $13^a$, 2 *longulum sane iter et via mala,* et maxime conferendus est Mil. v. 394: *Eu hercle praesens somnium: abi intro et conprecare* ubi neque hiatus offendit neque syllaba anceps, et quam non sit accusativus exclamativus, vide p. 75.

Neque Poen. V, 2, 138 *Hic illi malam rem dare*

*volt. Frugi, si id facit* scribatur necesse est *frugist,* nam conferenda sunt Phorm. v. 171 *Beatus animus qui istaec ferat* (de quo p. 32); ad Att. XII, 38, 1 *homo nequam, qui tuum commodum non exspectavit* [1])

Deinde cur Ritschelius *est* addiderit Stich. v. 732 *Ohe iam satis,* causam video nullam. Neque Asin. v. 211 *mater salve.* :: *Sat alutis,* cum Cam. scribendum est *salutis.* Etiam Truc. v. 259 A recte praebere mihi videtur *Sat mihi tuae salutis.* Quod Leo Epist. Plaut. ad Bueschl. proposuit *tuae salutis nil moror,* vereor, ut Plautinum sit, *nil moror* cum casu genetivo coniungere. Scribendum est potius sic:

*Salve* :: *Sat mihi tuae salutis: nil moror: sat salveo*

Nunc venimus ad participium futuri passivi apud quod omitti posse verbum substantivum iam vidimus p. 50 et *est* omittitur his locis Ciceronis: ad Att. VIII, 1, 3 *eundum ut quemcunque fors tulerit casum subeam potius;* IX, 9, 2 *plane sic faciendum;* X, 12, 5 *trahimur nec fugiendum, si —;* IX, 2ª, 1 *ut tibi ambulandum, unguendum sic mihi dormiendum;* X, 12, 2 *Sicilia petenda* XII, 43, 1 *sed ferendus in hoc meus error, ferendus? immo vero etiam adiuvandus;* Quae eum ita sint, falso editores addiderunt, *erat* ad Att. X, 4, 6 *patris autem lenitas amanda potius ab illo quam tam crudeliter neglegenda;* nam in Ciceronis epistulis saepius etiam *erat* vel *fuit* cogitatione supplendum esse notum est; velut ad Att. IX, 11, 1 *quod cum e viatore quodam esset auditum qui se diceret eum — cognosse, etsi vix verisimile misi tamen Puteolos pueros;* cf. Hor. Sat. II, 6, 28 *postmodo Luctandum in turba et facium de iniuria tardis*) [2])

Quis igitur dubitaverit de his versibus: Stich. v. 54

---

1) Prop. IV, 20, 3 *durus qui lucro potuit mutare puellam.*

2) Notissimum est Hor. Od. I, 7, 27 *nil desperandum Teucro duce;* II, 14, 17.

*Faciundum id nobis, quod praesentes imperant;* ubi R. *faciundumst nobis* falso scripsit; Asin. v. 778 *Spectandum ne quoi anulum det* Men. v. 661 *Si tibi displiceo patiundum, at placuero huic Erotio* R. *patiundumst plac.;* sed illud *at* quam aptum sit, Vahlenus ad hunc locum adnotat. Phorm. v. 249 adsentior Umpfenbachio sic scribenti: *Moléndum usque in pistrino, vapulandum, habendae compedes Opus ruri faciendum —:* Fl. *molendumst in pistrino*

Si nunc ad perfecta passivi et deponentis transimus, iterum incipiamus ab exemplis Ciceronianis: ad Att. I, 18, 3 *facto senatus consulto de ambitu, de iudiciis nulla lex perlata, exagitatus senatus;* IV, 19, 3; VI, 15, 2 *uni Favonio leges ab illo nobis imponi non placebat, sed is haud auditus in consilio;* III, 7, 1 *Crassipedis ambulatio ablata, horti, tabernae plurimae; ad fam.* XII, 25, 1 *factum de te senatus consultum honorificum, postulabatur —;* ad Att. XII, 13, 1 *fatale nescio quid tuae virtuti datum, id quod saepe iam experti sumus;* Falso igitur addunt viri docti *est:* ad Att. VII, 17, 4 *tantum mali* [*est* add.] *excitatum partim ex improbis, partim ex invidis civibus* et ad fam. VIII, 4, 5 *praeterea nuntiatum nobis et pro certo iam habetur regem mortuum,* quem locum iam attulimus p. 63, et VIII, 5, 3 *hoc sic praeterito anno Curio tribunus et eadem actio de provinciis introibit,* ubi Wesenb. falso, ut opinor, add. *erit;* nam *erit* omissum est ad Att. XV, 5, 3 *qui porro noster itus, reditus, voltus incessus inter istos?* et aliis locis [1]). Deinde ad fam. VIII, 4, 4 *coactus est dicere Pompeius se legionem deducturum, sed non statim sub mentionem et convitium obtrectatorum, inde interrogatus* [*est* add.] *de successione Caesaris* additur *est* prorsus inutiliter,

1) cf. Tib, I, 10, 25 *At nobis aerata, lares, depellite tela Hostiaque e plena rustica porcus hara,* quod recte traditum esse censeo, praesertim si confero Prop. IV, 16, 8 *at si distulero haec nostro mandata timore Nocturno fletus saevior hoste mihi*

sicut etiam ad fam. IX, 21, 3 *tres illi fratres fuerunt: C. Cn. M. Carbones: Marcus P. Flacco accusante condemnatus* [*est* add Wesenb.] *fur magnus, ex Sicilia Gaius accusante L. Crasso cantharidas sumpsisse dicitur* — (M habet ‚*condemnatus fur*' recte; k *est con. fur.*); cf. etiam Hor. Sat. II, 6, 22; I, 8, 27.

Iam nihil dubitandum est de his locis Plautinis: Curc. v. 190 *Iam huic voluptati hoc adiunctum* | *odium* neque *est* addi debet, ut hiatus qui nihil habet offensionis in diaeresi tollatur. Et Mil. 907 *Lepide et sapienter commode et facete res parate* (B; *tae* D) scribendum *parata*, non ‚*paratast*'; Asin. v. 501 *mihi credidit neneque deceptus in eo* facile omittitur *est* Et ut Trin. 574 *Nunquam edepol quisquam tam exspectatus filius* ‖ *Natus* R. frustra scripsit *natust*, sic Merc. 194 *Neque quisquam hominem conspicatus, donec in navim subit* a Veteris lectione non recedendum est: habuimus p. 68 ‚*postquam puerum conspicati*'.

Potuisse Plautum etiam *visus* perfectum sine *est* ponere apparet ex his exemplis: Cic. ad Att. VIII, 3, 14 *fuga et maritima opportunitas visa quaeri desperatione;* Hor. Epist. II, 2, 100 *si plus apposcere visus, fit Mimnermus* I, 7, 73 *hic ubi saepe occultum visus decurrere piscis ad hamum;* Ovid. fast VI, 644 *sed quia luxuria visa nocere sua;* Prop. II, 29, 25 *non illa mihi formosior unquam. visa neque ostrina cum fuit in tunica;* —, 29 *talis visa mihi somno dimissa recenti;* denique Ennium Annal. v. 40 *Nam me visus homo pulcher per amoena salicta Et ripas raptare locosque novos.*

Et apud Plautum *visa* sine *est* invenitur secundum libros Mil. v. 383, ubi B habet: *Hac nocte in somnis mea soror gemina germana visa Venisse Athenis in Ephesum;* C *gemina et;* atque si illud *et* rectum esset, dubitarem de Ritschelii emendatione *geminast,* sed conferenda sunt Men. v. 230 *Fratrem quaesitum geminum germanum meum* unde prol. v. 71: *Hunc quaeritatum*

*germanum suum* et Mil. v. 441 *geminam germanam meam;* sed. v. 1102 *sororem geminam adesse* et Enn. Annal. 42 *germana soror.* Quae cum ita sint potuit fortasse coniungi *gemina et germana* neque placet magis haec duo verba *est* inserto disiungi.

Trin. v. 536 *em nunc hic quoius est, ut ad incitas redactus!* rectissime se habere vidimus p. 29; neque Fleckeis. debuit Eun. v. 178 scribere *victust* si coniunxit: *victus uno verbo quam cito!* cf. Trin. 706. Neque video cur Ribb. scripserit *additust* Pacuv. frg. 269 *Id viri est officium, fletus muliebri ingenio additus* De Asin. v. 174 nihil certi affirmari potest.

Transeamus ad enuntiata subordinata atque primum exempla ab aliis scriptoribus repetita afferamus. Si legimus Cic. ad Att. XV, 40, 1 *sed ne is quidem, qui omnium flagitiorum auctor, bene de nostro;* et ad Att. VII, 3, 2 *sed ne dubitaris, quin quod honestius, id mihi futurum sit antiquius,* falso *est* additur: XII, 38, 3 *sive hanc aberrationem a dolore delegerim, quae liberalissima doctoque homine dignissima laudari me etiam oportere* nam etiam X, 12, 1 legimus: *quid mihi quidem minime novum, qui et te nossem;* et si recte traditur ad Att. XI, 24, 2 *de testamento, quod tum factum, quum illa haerere coeperat,* falso additur *est* post *habitus* ad fam. X, 6, 3 *complures in perturbatione rei publicae consulares dicti, quorum nemo consularis habitus, nisi qui* —. Deinde si recte traditur ad Att. I, 24, 6 *ille alter uno vitio minus vitiosus quod iners, quod somni plenus, quod imperitus* —, nihil desiderandum est ad fam. XII, 30, 4 *nihil possum tibi opitulari quod et orbus* [*est* add.] *senatus consulibus amissis.* Denique cum haec inveniantur exempla: ad Att. IX, 11, 1 *etsi vix verisimile misi tamen* XIII, 44, 1 *o suavis tuas litteras, etsi acerba pompa.* IV, 17, 4 *sed tamen etsi uberior liberalitas huius, gratior esse videbatur eorum, qui occuparant* XII, 10, 2 *sin quid forte titubatum,* minime debemus *est* addere cum Lambino ad

fam. III, 8, 8 *liberalitas tua ut hominis nobilissimi latius in provincia patuit, nostra si angustior* [*est* add.] *non debent mirari homines* [1]),

Atque etiam Horatius praebet huius omissionis exempla: Sat. I, 6, 83 *Pudicum qui primus virtutis honor, servavit;* I, 4, 45. Et si apud eundem legimus Sat. II, 7, 19 *quanto constantior idem in vitiis tanto levius miser ac prior illo qui* certo recte nobis traditur: ad fam. XII, 23, 1 *sed quo tua maior dignitas, eo quae tibi acciderunt minus ferenda,* ubi falso additur *est* post *dignitas* praesertim cum inveniantur ad Att. XVI, 7, 5 *causas habes iustas illas quidem sed nulla iustior, quam quod;* XII, 4, 6 *neque enim ista maior admonitio, quam quibus conficior.* Et iam habuimus: ‹*ut tibi ambulandum, sic mihi desperandum*›, et apud Petronium legimus p. 35, 36 *qualis dominus talis et servus*

Atque quoniam ad Att. II, 5, 3 legimus: *utrum, ut populi sermo, Pompeius et Crassus, an ut mihi scribitur, cum Gabinio Servius Sulpicius?* — satis defendi putamus: Ter. Haut. 219 *Non ut meus, qui mihi per alium ostendit:* sic A cum rell; Fl. frustra ‹*meust*›.

Plautina exempla, quae huc pertinent iam maximam partem aliis locis tractavimus velut (p. 47): Rud. 1075 *si ille te conprimere solitus, hic nos noster non solet* collato Hor. Sat. II, 3, 144 cf. p. 15 de ‹*elocutus*› perfecto; de Amph. v. 481 vide p. 40.

Cas. v. 841 *Spectatores, quod futurum, intus hic memorabinus*

hiatus nihil habet offensionis et apud *futurum* saepe *sunt* omittitur neque impedimento est, quod hic habemus enuntiatum relativum.

Neque dubito quin recte nobis tradatur in M codice Cic. ad fam. XIV, 14, 1 *si ille modeste venturus, recte in praesentia domi esse potestis, sin homo amens diripien-*

1) Verg. Aen. II, 10 *sed si tantus amor casus cognoscere nostros* VII, 548 *tua si mihi certa voluntas*

*dam urbem daturus est, vereor ut,* ubi additur *est* post *venturus,* falso; nam post *si* deesse posse verbum substantivum permultis demonstravimus exemplis, item *sum estis es* saepe deesse in versibus Plautinis et Terentianis apud participium futuri, et apud Ciceronem ipsum invenimus ad Att. VIII, 2, 4 *ego, si de pace agetur profecturus, si de bello videro* VII, 6, 2 *dices, quid tu igitur sensurus es? non idem quod dicturus.* Et liceat mihi hic commemorare hos Propertii locos: Prop. II, 15, 23 *dum nos fata sinunt, oculos satiamus amore: nox tibi longa venit nec reditura dies* V, 27, 11 *solus amans novit quando periturus et a qua morte neque hic boreae flabra nec arma timet*

Pauca restant exempla Plautina:

Mil. v. 965 *Quo pacto potis Nupta et vidua esse eadem? :: Quia adulescens nupta cum sene* C habet *nuptasi.* Itaque fortasse *nuptast* scribendum est, neque vero ita certum est; nam cf. (p. 41) exempla *es* omissi post *quia.*

Rud. v. 422 *hei corpus quoius modi Subvoltúrium — illud quidem subaquilum volui dicere:* hic inutile est scribere — *turiumst,* nam non plena sententia pronuntiatur, sed abrumpitur, quam ob causam ne hiatus quidem hoc loco quemquam offendere debet.

Most. v. 159 *eventus rebus omnibus velut horno messis magnast* non magis alterum *est* addendum est, quam Men. v. 398 *Quasi suppellex pellionis palus palo proxumust*

Minime vero *est* desideratur Mil. v. 253: *quantumvis prolationum*

Epid. v. 32 libri: *Tum ille prognatus Theti, Sine, perdat:* sic recte distinxit Ussing; Goetz. falso: *gnatust Theti. Sine.* De illo *est,* quod in responsis olim addi solebat, iam in prooemio diximus. Et integra relinquenda est formula *tantum, quod sciam* Merc. v. 642 *Num quid est quod dicas aliud de illo? :: Tantum, quod sciam* i. e. tantum est quod de illo dicam, quod ego quidem

sciam. Ritschl. scripsit quidem *tantumst*, sed si iterum edidisset Mercatorem ipse nihil mutasset. Atque legimus etiam Men. v. 295: *Est tibi Menaechmo nomen, tantum quod sciam*, quo loco quidem illa verba non eadem notione posita sunt.

Nunc etiam ceteras praeter secundam singularis personas absolvi et confido viros doctos ea via, quam iam ipse iniit Ritschelius, progressuros esse, ut concedant in omittendo verbo substantivo maxime autem tertiae singularis multo maiorem libris mss. habendam esse fidem. Quam viam unam rectam esse et nos ducere ad verum cognoscendum ostendisse mihi videor, si quidem mihi contigit, ut demonstrarem quam apta et usitata omissio cum sermoni familiari tum Plauto fuerit. De qua omissione maxime ideo viros dd. a sententiia vulgata recedere opus erit, quod apparuit etiam secundam singularis personam persaepe omissam esse ab ipsis scriptoribus, potissimum in poesi scenica, id quod fabularum naturae respondet. Sane facillimum est *t* litteram adscribere vel *st*, sed rectius est traditam lectionem, verane sit examinare et, si vera est, retinere.

# Index.

## Plauti [1])


Amph.

| | |
|---|---|
| v. 56 | p. 9 |
| 318 | 78 |
| 320 | 25 |
| 397 | 41 |
| 407 | 26 |
| 481 | 100 |
| 583 | 47 |
| 596 | 74 |
| 779 | 40 |
| 957 | 17 |
| 970 | 86 |
| 1038 | 85 |
| 1091 | 93 |
| 1137 | 4 |

Asin.

| | |
|---|---|
| v. 25 | p. 26 |
| 134 | 6 |
| 167 | 79 |
| 211 | 96 |
| 271 | 17 |
| 333 | 47 |
| 612 | 25 |
| 778 | 97 |
| 856 sq. | 61 |
| 912 | 90 |

Aul.

| | |
|---|---|
| v. 354 | p. 66 |
| 417 | 21 |
| 740 | 18 |
| 763 | 39 |
| 810 | 48 |

Capt.

| | |
|---|---|
| v. 154 | p. 16 |
| 183 | 24 |
| 333 | 56 |
| 336 | 95 |
| 488 | 90 |
| 568 | 28 |
| 594 | 85 |
| 837 | 48 |
| 867 | 37 |
| 870 | 32 |
| 933 | 22 |
| 965 | 49 |

Curc.

| | |
|---|---|
| v. 15 sq. | p. 93 |
| 62 | 34 |
| 65 | 48 |
| 75 | 23 |
| 102 | 40 |
| 190 | 28 |
| 196 | 32 |
| 407 | 20 |
| 414 | 13 |
| 437 | 8 |
| 708 | 47 |

Cas.

| | |
|---|---|
| v. 139 | p. 29 |
| 143 | 15 |
| 156 | 75 |
| 312 | 63 |
| 323 | 63 |
| 438 | 81 |
| 680 | 21 |
| 748 | 91 |
| 841 | 100 |

Bach.

| | |
|---|---|
| v. 93 | p. 31 |
| 161 | 17 |
| 219 | 88 |
| 373 | 28 |
| 375 | 11 |
| 398 | 87 |
| 774 | 11 |
| 885 | 13 |
| 946 | 64 |
| 1105 | 11 |

Epid.

| | |
|---|---|
| v. 32 | p. 101 |
| 285 | 25 |
| 551 | 31 |
| 596 | 17 |
| 630 | 42 |
| 650 | 64 |
| 652 | 32 |
| 669 | 98 |
| 697 | 18 |
| 710 | 18 |

Most.

| | |
|---|---|
| v. 33 | p. 76 |
| 49 | 5 |
| 85 | 62 |
| 159 | 101 |
| 279 | 78 |
| 285 | 84 |
| 288 | 94 |
| 320 | 8 |
| 604 | 66 |
| 668 | 21 |
| 671 | 24 |
| 817 | 29 |
| 933 | 95 |
| 946 | 31 |
| 980 | 43 |

Men.

| | |
|---|---|
| v. 119 | p. 23 |
| 177 | 30 |
| 178 | 31 |
| 181 | 83 |
| 606 | 78 |
| 278 | 71 |
| 291 | 33 |
| 293 | 42 |
| 309 | 38 |
| 310 | 7 |
| 335 | 74 |
| 398 | 101 |


1) Numeros Captiv. Rud. exscripsi secundum Fleckeisenum, Casin et Poen. sec. Geppertum, Menaechm. sec. Vahlenum, ceterarum fabularum ex editionibus a Ritschelio eiusque discipulis factis.

Men.

v. 433 p. 9
,, 60
480 sq. 18
605 9
661 97
768 14
815 29
878 13
921 31
922 33
990 34
1086 38

Mil.

v. 9 p. 81
19 12
232 39
253 101
285 30
292 89
297 90
307 78
314 83
321 74
322 41
323 7
348 11
364 82
370 60
378 95
383 98
395 90
398 95
406 12
408 50
412 40
427 35
464 95
469 84
472 23
519 12
558 17
574 27
636 84
696 23
760 11
825 33
881 89
907 28
917 86
965 101
984 31
986 sq. 11

Mil.

v. 1003 p. 12
1040 74
1070 88
1071 92
1111 14
1113 95
1117 78
1154 84
1206 56
1223 49
1227 29
1306 79
1409 33

Merc.

v. 39 p. 89
106 85
130 81
194 98
371 37
396 84
423 84
622 21
630 42
642 101
726 42
751 40
756 6
759 7
840 sq. 64
919 9
951 11
964 18

Pseud.

v. 208 p. 32
244 41
249 31
271 39
348 18
349 84
394 23
396 41
619 15
631 28
873 14
879 22
1050 42
1130 26
1177 47
1243 11
1255 85

Poen.

v. 61 p. 94
167 23
219 68
246 13
253 79
328 14
340 95
404 14
482 85
728 12
757 95
774 76
904 31
965 28
1086 95
1304 14
1329 80

Pers.

v. 107 p. 79
146 24
220 31
229 79
285 30
397 24
416 19
462 30
484 47
532 85
667 30
774 76

Rud.

v. 111 p. 84
145 89
181 46
222 6
370 sq. 59
422 00
453 17
467 25
469 25
520 61
871 17
847 41
982 19
1075 99
1152 7
1234 41
1386 17

Stich.

v. 30 p. 94
54 97

Stich.
v. 73 p. 63
264 23
317 27
322 14
372 15
633 25
732 96
759 37
769 79

Trin.
v 61 p. 17
96 50
198 23
366 11
454 7
490 6
535 11
536 sq. 29
563 16
567 16
574 98
706 11
714 22
912 50
969 39
975 27
977 46
982 39
985 46
1049 22
1165 41
1166 76

Truc.
v. 28 p. 68
150 25
151 7
166 48
189 95
259 96
355 14
602 14
604 19
746 31
808 93
820 93
844 17
885 72
873 84
912 33
917 80
926 89
929 43

Truc.
v. 948 p. 89
955 6

Terentii:

Adel.
v. 98 p. 78
214 19
234 20
394 36
742 55
852 31
957 9
961 32

Andr.
v. 82 p. 16
202 15
285 6
360 11
496 22
621 21
702 54
724 24
749 7

Eun.
v. 178 p. 99
273 55
268 91
286 28
361 91
496 55
559 7
651 39
696 23
1063 65

Haut.
v. 219 p. 100
580 30
815 21
823 38
848 54

Hec.
v. 392 p. 26
564 9
825 16

Phorm.
v. 48 p. 65
179 54
249 97
295 8
324 32
496 8

Phorm.
v. 550 p. 24
798 15

Caecil.
v. 9 p. 9
23 28
34 33

Afran.
v. 215 p. 9
211 19
363 40

Dec. Lab.
v. 28 p. 9

Ennii:
v. 128 p. 63

Novii:
v. 62 p. 17

Pacuv.
v. 260 p. 34
327 20

Pompon.
v. 77 p. 94
90 26

Titin.
v. 28 p. 40
39 41
48 30

Sext. Turp.
v. 209 p. 41

Ciceron.

ad Att.
IV, 86, 3 p. 63
VII, 17, 4 97
IX, 9, 4 10
—, 21, 3 98
X, 4, 6 96
XII, 8, 3 99
—, 30, 2 83
XIII, 41, 2 91
—, 48, 1 62
XV, 43, 5 92
—, 16, 5 62
XVI, 28, 1 70

ad fam.
VIII, 4, 4 p. 97
—, 4, 5 63
—, 5, 3 97
IX, 11, 2 62
X, 6, 3 100
XII, 23, 1 100
—, 30, 4 99
XIII, 19, 1 94
XIV, 14, 1 24

# Vita:

Natus ego sum Waldemarus Olsen Ruegenwaldiae in oppido Pomeraniae a. d. XI Kal. Octobr. a. 1860 patre usus Augusto, qui quidem iam primo aetatis meae anno supremum diem obiit. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum elementis in patriae urbis schola imbutus transmigravi in gymnasium Cussalinense, quod tum florebat Pitanni auspiciis, nunc Sorofio rectore. Unde maturitatis quod dicunt testimonio instructus mense Aprili a. 1880 me contuli Berolinum, ut in illa universitate litteraria studiis me dederem philologicis. Atque audivi per quatuor semestria disserentes vv. dd. Curtium, Huebnerum, Kirchhoffium, Muellenhoffium, Paulsenium, Treitschkium, Scherum, Vahlenum, Wattenbachium, Zellerum. Tum Gryphiswaldiam migravi, ubi me docuerunt vv. dd. Kiessling, Reifferscheid, Schuppe, Ulmann, de Wilamowitz, Zimmer. Et licuit mihi interesse aristotelicis Susemihlii exercitationibus. Kiessling vero et Wilamowitz me receperunt in seminarium philologicum, cuius sodalis fui ordinarius per duo semestria, et Reifferscheid mihi concessit, ut seminarii germanici sodalis essem ordinarius item bis sex menses.

Quibus viris optime de me meritis omnibus, imprimis vero Kiesslingio, Wilamowitzio, Reifferscheidio, qui summa cum benevolentia me adiuvare atque augere nunquam desierunt, gratias ago quam possum ex animo maximas.

## Sententiae controversae.

1) Tibullum in elegiis scribendis nonnullos Propertii locos ante oculos habuisse puto coll. Prop. II, 5, 21—26 cum Tib. I, 10, 51 sqq., aliis.

2) Si cum Leone Phil. Unters. II, p. 35 interpunxeris Tib. I, 2, 7:

*ianua difficilis, domini te verberet imber,*
*te Iovis imperio fulmina missa petant,*

iam nulla coniectura locum tentandum esse censeo coll. Tib. I, 1, 17—18, Hor. od. IV, 8, 23—24, aliis.

3) In fine Verg. Georg. libri quarti nunquam fuisse laudes Galli persuasum habeo.

4) Plaut. Bach. v. 552 verba *ego ita esse arbitror* recte collocata nobis tradita esse arbitror.

5) Ulpian. Digest. L. tit. 16, 138 ‚tabernae appellatio declarat omne utile ad habitandum aedificium, non ex eo quod tabulis cluditur' nihil mutandum est, sed ad sententiam supplendum, quod legitur Fest. p. 356 ‚tabernarum quae ipsae, quod ex tabulis olim fiebant, dictae sunt, non ut quidam putant, quod tabulis cludantur'.

6) Aesch. Prom. versus 227—28

ἔνεστι γάρ πως τοῦτο τῇ τυραννίδι
νόσημα, τοῖς φίλοισι μὴ πεποιθέναι

ab hoc loco excludendos esse arbitror.

7) Herod. II, 115: καὶ οὐδὲ ταῦτα τοι [μοῦνα] ἤρκεσε, illud μοῦνα delendum est.

8) Parcival 553, 28 propono:

ûz israhêlscher sippe erzilt,
von alter hêr, unz —.

9) In Gualtheri de Vogelweide carmine L. 93, 20 inde v. 25 sic interpungo:

ine weiz niht daz ze fröiden hôher tüge.
swenne ein wîp von herzen meinet
den der ir wol lebt ze lobe,
dâ ist ganzer trôst —.

---

Jenae, Typis H. Pohle.

Photomount
Pamphlet
Binder
Gaylord Bros., Inc.
Makers
Stockton, Calif.
PAT. JAN. 21, 1908

Stanford University Libraries
3 6105 011 684 516

DATE D

STANFORD UNIVE
STANFORD, CALIFO